ATTENDE TIBI,

VT RECTE VIVAS.

In hoc Opuſculo habes imaginem Hominis ſpiritualis expreſſam, ex Scriptura Sacra deſumptam, ac admodum vtilem, de modo bene, atq; recte viuendi ſecundum Deum.

FORMATAM

Per Reuer. D. Laurentium de Brocc[illegible] Patauinum Congregationis Canonicorum Sancti Georgij in Alga Venetiarum.



VERONAE, Apud Petrum Diſcipulum. 1596.





Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D. D.

MICHAELI ALEXANDRINO

S. R. E.

EPISCOPO CARDINALI,

Congregationisq; noſtræ S. Georgij in Alga Venetiarum Protectori Ampliſſimo.






VM poſt labores (hortatus) propoſuiſſem hoc opuſculum de modo bene, atq; rectè viuendi ſecundum Deum, & non ſecundum

ſeipſum, nec ſecundum carnem, in lucem edere: Ne mihi ſoli, ſed cunctis bonarum literarũ ſtudioſis prodeſſet: Tibi Illuſtriſs. atq; Reuerendiſs. D. D. mi, dedicare cenſui, qui virtutibus ſplendes, vniuerſaq́; vitia abhominaris: Illud igitur libenter Dominatio Veſtra accipiat, non, ꝙ ex eo ſapientiæ ſplendoriq́; Veſtro aliquid acceſſurum exiſtimem; ſed, vt ipſum ab auctoritate, & magnitudine veſtra, ſplendorem, protectionem, auctoritatemq́; acquirat, & ſuſcipiat: Atq; mei erga Dominationẽ veſtrã Illuſtriſs. amoris, & reuerẽtię ſignum exiſtat. Et me commendo gratiæ veſtræ Illuſtriſs.

In Monaſterio S. Georgij in Braida Veronæ, die 25. Aprilis 1596.

Humiliſs. ſeruus
D. Laurentius Patauinus.



AD LECTOREM.



Onus Laurentius de Brochis Patauinus, Dei gratia Sacerdos, & Canonicus de ordine Canonicorũ Cõgregationis Sancti Georgij in Alga Venetiarum, pio Lectori Salutem in Domino.

H*IC Lector prudens inuenies, quid sit Homo, de compositione Hominis, de membris eius, de Angelis bonis, & malis, de corpore humano, de Anima, de sensibus, de vita humana, & quæ sunt necessaria vitæ spirituali, & morali secundum Scripturam.*

Item hic habes Vocationem gentium ad Religionem Christianam, & cau-

sas quare, & boni, & mali flagellantur in hac vita. Et multa alia scitu digna ad perfectionem humanæ Naturæ. Vide ergo quoniam non solum mihi laboraui, sed omnibus exquirentibus veritatem. Quia sicut dicit ille fons eloquentiæ Tullius de Officijs, lib. 1. Vt præclarè scriptum est à Platone, quod non solum nobis nati sumus, sed Reipublicæ: quia partem patria, & partem amici sibi vendicant. Atq; placet etiam Stoicis, quæ in terra gignuntur ad vsum hominum produci. Homines vero hominum causa genitos, vt alijs alij prodesse possint. Hinc est, quod ego videns, quòd omnis natura gaudet bonum sibi concessum alijs communicare, & bonorum suorum participem inuenire. Ideo non solum mihi laborare volui, sed ad vtilitatem multorum labores meos ordinare contendi iuxta doctrinam D. Pauli, qui se dicit Grecis, & Barbaris, Sa-


pientibus , & Insipientibus debitorem : sciens quòd illi à Domino commendantur , qui ad constitutionem Tabernaculi non solum aurum , & argentum , & alia preciosa obtulerunt , quinimo etiam illi , qui pilos caprarum , & alia modici precij obtulisse probantur : Quodq; in magna domo (prout dicit Apostolus) non solum vasa aurea , & argentea sunt necessaria , sed etiam lignea , & fictilia . Itaq; iuxta mei pauperiem ingenij (non in meis viribus confidens , sed in Deo à quo omne datum optimum vnicè sperans) manum meam misi ad laborem , & oculos meos impleui vigilijs , & videns requiem , quòd esset bona (sicut rubem habitans , inter duos lauros) noui scilicet , & veteris testamenti humeros meos supposui ad deferendum aliquid , ad Dei laudem , & gloriam . Et quamuis nihil dico , quòd prius sparsim non sit ab alijs dictum : Omnia

tamen Sanctæ Romanæ Ecclesiæ iudicio committo. Vale, & attende tibi. Et si aliquid boni inuenies da laudem Deo: Si autem aliquid deest (forsitan breuitatis causa (intellectus tuus, & prudentia tua suppleat; & si adsint errores choritas tua benignè corrigat, Dei perfecta sunt opera, ait Moyses.

Pax tibi.



INDEX



INDEX PRIMAE PARTIS OPVSCVLI,

Anterior numerus Capitulorum, posteriorq́; foliorum.

qua-


Index ſecundæ Partis.


Index tertiæ Partis.

Index Quartæ Partis.

25 *Vi-*

Finis Index Capitulorum.





OPVSCVLVM HOC diuiditur in quatuor partes, cum Indice earum.

PRIMA pars continet definitionem Hominis sensusq́; eiusdem, & ostendit quid agere debeat, vt bene viuat.

SECVNDA pars agit de vocatione gentium ad Religionem Christianam, & indicat quid facere debeant Christiani, vt rectè, iustè, & piè viuant.

TERTIA pars agit honorificè de Clericis, & Religiosis, & de eorum professione.

QVARTA pars versatur circa Mysteria, & Cæremonias, quæ præclarè aguntur in solemnitate Missarum.



OPVSCVLI.

Prima Pars.

Quid est homo. Cap. I.

HOMO secundum Aristotelē est animal rationale mortale. Et secundum Isidorum est animal Deiforme, mansuetum, & naturale secundū legem rationis disciplinę susceptibile. Sursum versus cęlum erectum, inter naturam Angelicam, & brutalem medium: Quia scilicet cum Angelis participat per rationem, cum brutis verò participat per mortalem conditionem. Et ideò statura sursum erigitur, vt per rationem videatur suprema quærere, inferius tamen circa terram corporis mole detinetur, vt cum brutis videatur similitudinem habere. Homo inter animalia bipes, solus rursum erectus, multos capillos in capite habens, pulsum venarum sentiens, & pręcunctis animalibus in sensu tactu vigens, aures non mo-

mens, & præceteris animantibus respectu sui corporis, os modicum habens, &c.

Nobilissimum animalium est homo, & ideo cęteris animalibus est Prælatus, & à Deo magis priuilegiatus, pditus, & dotatus.

Per hominem spiritualiter loquendo possumus intelligere quemlibet bonum virum, vel quemlibet bonum Præsidem, vel Principem, vel Prælatum, qui proculdubio alijs est Præpositus, & Præfectus, & in gradu, & statu alijs præclectus.

Talis igitur homo animal debet esse. Idest res animata per gratiam, & charitatem: Mãsuetus per modestiam, & benignitatem: Rationalis per prudentiam, & sagacitatem. Veruntamen se cognoscens mortalem per propriæ conditionis notitiam, & humilitatem, vt dicat illud Sap. 7. Sum quidem, & ego mortalis homo, similis omnibus hominibus, & ex genere illius, qui prior factus est. Ille igitur debet esse erectus per cœlestium affectionem, & contemplationem, inter Angelos, & iumenta, idest inferiores subditos medius per iurisdictionem, & prælacionem. Et dato, ꝙ in parte sit similis Angelis, & supremis, iumentis tamen, idest simplicibus debet etiam in parte considerare se similem per mortalem conditionẽ, Psal. dicens Domino illud Psalm. Vt iumentum

factus

factus sum apud te. Decet enim, quod Prælatus in parte sit Angelicus, sit purus, sit mundus, & rationalis, in parte vero iumentum, idest tentationibus non succumbens, sciens, & compatiens, fragilitati mortali dicens illud Esaiæ 53. Ego sum vir dolorum, & sciens infirmitatem. *Esai. 53*

Item iste debet esse bipes, quia scilicet, duos debet habere pedes, principalia fundamenta, scilicet veritatem, & iustitiam. Debet in capite, idest in mente habere multos capillos, idest virtutum redundantiam. Debet habere optimum sensum tactus, idest compassionem, & clementiam, & optime debet percipere prælium, idest aliorũ quærimoniam, & miseriam. Debet etiam habere sensum tactus, idest prudentiam, quo cognoscat cuiuslibet complexionem, & sufficientiam, dicens illud Gen. 27. Accede ad me huc, vt tangam te.

Homo quomodo ad imaginem Dei factus sit. Cap. II.

HOmo quomodo ad imaginem Dei dicitur factus, respõdit Diuus Augustinus

Augustinus contra Manicheos. contra Manichæos, lib. 1. cap. 17. secundum interiorem hominem, vbi ratio, & intellectus: Vnde etiam habet potestatem pisciũ maris, & volatilium Cęli, & omnium pecorum, & ferarum omnis terræ, & omnium *Gene.* repentium, quæ repunt super terram. Gen. Cum enim dixisset Deus, faciamus hominẽ ad imaginem, & similitudinem nostrã, &c. Addidit continuo, & præsit piscibus maris, & volatilibus Cœli, &c. Vt intelligeremus, non propter corpus dici hominem factum ad imaginem Dei, sed propter eam potestatem, qua omnia superat, omnia enim animalia cętera subiecta sunt homini, non propter corpus, sed propter intellectum, quem nos habemus; & illa non habent, quamuis etiam corpus nostrum sic fabricatum sit, vt indicet nos meliores esse, quàm bestias: & propterea Deo similes. Sed di-*Quest.* ces quomodo homo habet potestatem super bestias, cum videamus plerumque homines *Resp.* à feris occidi? Dicitur primo, quòd propter peccatum amisit homo illam perfectionem. Secundò dicitur, quòd etiam post peccatũ multis feris dominatur, & quasi omnes domat: & tamen ipse, licet occidi possit à feris, à nullis tamen domari potest.

Homo

Homo debet viuere ſecundum Deum, & non ſecundum ſeipſum, & ſecundum carnem.
Cap. III.

DIco autem, ait Paulus ad Gal. 5. Spiritu ambulate & deſideria carnis non perficietis. Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem. Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur, vt non quæcunque vultis, illa faciatis.

Caro in ſcripturis Sanctis accipitur varie: Aliquando accipitur pro carne tantum, non conſiderata anima: Vt dicitur. Non omnis caro, eadem caro, ſed alia quidem hominis, alia pecorum, alia volucrum, alia aliorum animalium, &c. Aliquando accipitur caro pro tota natura hominis, ſecundum illum modum loquendi quo vtimur, partem pro toto accipientes; vt dicitur ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro, ideſt omnis homo. Paul. 1. ad Corin 15. & ad Rom. 3. Cum igitur quæritur quid ſit viuere ſecundum carnem? Reſpondetur cum Diuo Auguſtino, quod eſt viuere ſecundum hominẽ, ideſt ſecundum ſeipſum, & non ſecundum Deum; & qui ſic viuit ſimilis eſt Diabolo, qui, & ipſe voluit viuere ſecundum ſeipſum, & non ſecundum Deum: ideò in veritate

non ſtetit. Et ideò dicimus, q; ille homo viuit ſecundum carnem, & non ſecundum Deum, qui viuit ſecundum ſeipſum: Non quia caro ſit cauſa præcipua peccati, immo eſt anima peccati cauſa, ſed corruptio carnis eſt pęna peccati. Sed quia viuit ſecũdum hominem, accipiendo partem pro toto. Nã multa peccata committit homo, quæ non di cuntur carnalia, vt adorare Idola, Hæreſim amplecti, inimicitias habere; & talium origo eſt ſuperbia, quę etiã in Diabolo regnat ſine carne: & ideo, & in nobis poſſunt eſſe ab alio fonte, quàm à carne: Nihilominus Apoſtolus ad Gal. 5. nominat talia, opera carnis eſſe: Quomodo ergo iſta ſunt opera carnis, ſi ab anima, aut ab eius ſuperbia, quæ non ſunt caro deriuant? Niſi quia ſunt hominis opera, quæ nomina carnis ſicut dixi, appellantur. Qui vult ergo bene viuere, viuat ſecundum ſpirtum bonum, & ſecundum Deũ, & non ſecundum ſeipſum, & ſecundum carnem: Nam qui viuit ſecundum Deum, ſecundum veritatem viuit: Qui verò ſecundum ſeipſum viuit, ſecundum mendacium viuit, & hoc viuere ſecundum ſeipſum prouenit à voluntate hominis: quæ ſi eſt peruerſa, & peruerſos habebit motus, & actus: Si eſt recta non ſolum inculpabiles, verùm etiam laudabiles motus habebit. Voluntas

quippe

quippe est in omnibus. Nam quid est cupiditas, & lætitia, nisi voluntas in eorum consensionem, quæ volumus? Et quid est metus, atq; tristitia, nisi voluntas in dissensionem ab his, quæ nolumus? Sed cum consentimus appetendo ea, quæ volumus cupiditas dicitur, cum autem consentimus fruendo his, quæ volumus, lætitia vocatur. Itemq; cum dissentimus ab eo, quod accidere nolumus, talis voluntas metus est: cum autem dissentimus ab eo, quod nolentibus accidit, talis voluntas tristitia est: & omnino pro varietate rerum, quæ appetuntur, atq; fugiuntur, sicut allicitur, vel offenditur voluntas hominis, ita in hos, vel in illos affectus mutatur, & vertitur. Quapropter homo, qui secundum Deum, non secundum hominem viuit, oportet vt sit amator boni; vnde fit consequens, vt malum oderit; & quoniam nemo natura malus est, sed tantum vitio, ideo oderit vitium, & amet hominem, vt fratrem suum.

Homo debet sequi Deum, & imitari eum. Cap. IIII.

QVi sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ, dicit Dominus. Deus, secundum Damascenum, est Primum principium, immortale, & æternũ:

Simplex, incorruptus, lumen intellectuale, fons bonitatis, &c. omnia mensurans.

Homo est creatura Dei, quia scriptum est. Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginẽ, & similitudinem nostram. Et ideò vt creatura tenetur Creatori. Et Diuus Paulus. Imitatores Dei estote, sicut filij charissimi. Et quia etiam scriptum est, puto, de viris iustis, & perfectis in Psal. 81. Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes. Ideò possumus dicere competenter, quòd quilibet vir perfectus, & maximè Prælatus potest (spiritualiter loquendo) dici quasi per similitudinem officij sui Deus: Cum sit filius excelsi secundum scripturam, & quia non est potestas nisi à Deo: Et hoc quia pro certo talis homo Prẹlatus, vel Princeps, est principium aliorũ per honorem, & dignitatem: & ideo ipse debet esse sequutor, & imitator Dei: Immortalis, & æternum, quodammodo per continuitatem perseuerantiæ bonorum operum, & per firmitatem constantiæ, & patientiæ: Simplex per innocentiam, & puritatem mentis, & per verborum veritatem, & sinceritatem: Incorruptus per munditiá, & castitatem: Lumen intellectuale per scientiam, & modestiam: Fons bonitatis misericorditer in omnes influendo, & cunctis beneficia suæ bonitatis liberaliter largiendo.

Psal. 81

Deus

Deus dicitur fons totius bonitatis, bonitas autem sua summè in hoc apparet, quia beneficia sua omnibus solet concedere, & tàm bonis, quàm malis bona sua influere, vel donare, & illa quæ ad regimen vniuersi pertinent nulli quamuis impio denegare. Vnde omnibus dat Deus vitam, nutrimentum, regnum, & tutelam, siue infidelis fuerit, siue fidelis: Solem enim suum facit oriri super bonos, & malos, ad illuminandum: Temporalia concedit ad nutriendum: Tutelam boni Angeli cuilibet etiam infideli apponit ad custodiendum. Beneficia enim, quæ ad commnnem rerum ordinem, pertinent nulli Deus denegat. Bona spiritualia omnibus offert, at gloriam solis prȩstat bonis. Sic verè debet facere Prælatus, debet enim esse fons totius bonitatis, & ideo per liberalem pietatem in omnes debet influere bona, omnibus proficere; nulli nocere. Et dato ꝙ aliquos bonos, alios malos, quosdam amicos, quosdam inimicos videat, cunctis tamen illa, quæ ad suum commune officium pertinent, debet exercere, & propter priuatum odium, vel delictum, nemini munus publicum denegare; omnibusq; subditis suis nutrimentum piæ subuentionis, regimen iurisdictionis, & tutelam protectionis, & defensionis generaliter ministrare,

& bonos, & malos indifferenter, propter iustitiam. sicut omnium debitor, gubernare, & dicere sicut dixit Diuus Paulus, ad Rom. 1. Grecis, & Barbaris, Sapientibus, & insipientibus debitor sum. Veruntamen quantum ad illa, quæ pertinent ad promotiones debet alio modo se habere; quia tunc debet inter subditos discernere bonos, & malos, bonosq; malis præferre, & secundum merita personarum aliter, & aliter dispensare.

Not. Deus est iustus veruntamen rigorem suũ non statim infert delinquentibus, immò multum expectat, vt homines tempus habeant pęnitendi, quia secundum scripturã: Non vult Deus mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat, & dissimulat peccata hominum propter pęnitentiam.

Sic procul dubio debet facere Iudex, vel Pręlatus, quia pro certo non statim debet ad punitionem contra delinquentem prorumpere sed sub dissimulatione multa opera trãsire, ne dicatur de illo illud Salomonis. Pedes eius in malum currunt, & festinant, vt effundant sanguinem.

Deus regendo mundum, quærit solũ creaturarum vtilitatem, & non proprium: quia s. de isto suo regimine nihil acquirit vtilitatis, sed tantum manifestat suam gloriam.

Sic verè illi homines, qui sunt serui Dei, scilicet

scilicet Principes, Iudices & Praelati, non debent in officijs suis ad proprium lucrum attendere, sed solum de subditorum vtilitatibus prouidere, & dicere iuxta illud Apostoli 2. Corint 12. Non enim quęro quae vestra sunt, sed vos.

In Deo sunt tres personae, vna tamen, & eadem est substantia, & vna essentia, & etiã quaelibet persona est in alia. Totus enim est in patre filius, & totus in verbo pater. Sed patris, & filij, & Spiritus sancti vna est diuinitas, aequalis gloria coaeterna Maiestas, vt in Symbolo Athanasij: sic vere moraliter loquendo, dato quod plures, & distinctae personae sint in Ecclesia, debent tamen esse vnum quantum ad fidei vnitatem, & alter in alterutro quantum ad intimam charitatem: Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium suum: sed in omnibus exhibere seipsos sicut Dei ministros.

Homo debet esse perfectus, vt Angelus Dei.
Cap. V.

Ngelus, secundum Damascenum, est substantias intellectualis semper mobilis, incorporea, arbitrio libera Deo ministrans, immortalitatem habens, Angelus enim summam habet intellectus subtili-

ſubtilitatem, & claritatem, & hoc quia nullam habet cum materia dependentiæ neceſſitatem Habet enim intellectum deiformẽ, & ideo ſupra tempus eſt, ita quòd res per diſcurſum non intelligit, ſed totum ſimul apprehendit, & cognoſcit.

Talis vt Angelus pruculdubio debet eſſe quilibet vir perfectus, iſte enim debet eſſe intellectualis per fidem, & diſcretionem: Semper mobilis per obedientiam, & operationem, arbitrio liber per amotam omnem ſeruitutis culpæ obligationem, Deo miniſtrans per obſequium, & humilem ſubiectionem, immortalitatem habens per perſeuerantem in bono durationem, deiformiter intelligens per mentis ſuę cum Deo conformationem, citò, ſimul, & ſine diſcurſu veritatem cognoſcens per promptam mentis adhibitionem.

Mirabiles ſunt Angelorum operationes, & virtutes, omnia enim faciunt ſine mora, & dilatione. Semper nobis aſsiſtunt ſine intermiſsione, Humanæ naturæ ſunt cuſtodes à Dei ordinatione, liberè Deo famulantur ſine coactione. Subito ac in inſtāti iuſſa Dei perficiunt ſine procraſtinatione, Proficua, & vtilia nobis procurant, ſumma attentione Deum continuè contemplantur ſine fatigatione. Extra ſe apprehendunt omnia ſi-

ne

ne collatione. Inter ſe ordinatiſsimè diſponuntur ſine inuidia, & ambitione. Ita ad ſimilitudinem Angelorum boni viri, & perfecti homines facere debent, &c. vt dictum eſt. Et ordinatè viuere, & nullus alteri inuidere, & alter alterius officium, vel beneficium non ambire, ſed in pace, & concordia perpetua permanere.

Angeli carne, vel oſsibus non teguntur, ſine dilatione operantur; Deum continuè contemplantur: Inter ſe ſine diſcordia conuerſantur: Inferiores ſuperioribus famulantur, & maiores minoribus principantur: Nulla paſsione grauantur, nulla varietate alterantur, nulla mortalitate corrumpuntur, nulla mala affectione inflammantur, nulla inuidia ſtimulantur, nulla iracundia conturbantur; nunquam ſibinuicem iniuriantur. Et quicquid eis à Deo præceptũ fuerit ſubito, ſine tardatione exequũtur, & quia immortales ſunt, ideo pro conſeruatione ſpeciei ſuæ non nubunt, neq; nubentur.

Tales vt Angeli poſſunt dici boni Religioſi, & Clerici, qui etiam in ſcriptura Angeli vocantur, ſicut de Sacerdote dicitur. Malach. 2. his verbis. Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt. Tales enim, vt Angeli ſine dilatione *Mal. 2.*

de-

debent operari, celeriter obediendo: Cęlestia debent contemplari, se à terrestribus abstrahendo, sine discordia debent conuersari, secum pacificè conuiuendo: inferiores superioribus debent famulari, cum reuerentia obsequendo: superiores, & antiquiores inferioribus, & iunioribus debent principari, ipsos iustè règendo, & gubernando: nulla passione debent grauari, se se per patiētiam stabiliendo: nulla varietate alterari, se se per constantiam confirmando: nulla iniquitate corrumpi, se se per perseuerantiam in vita gratiæ conseruando: isti vt Angeli nulla mala affectione debent inflammari, nulla scintilla inuidiæ stimulari, nulla iracundia conturbari, & nunquam sibinuicem debent iniuriari, & quicquid eis iniunctum fuerit, debent promptè, voluntariè, & celeriter exequi, & operari, vt sic possint de ipsis intelligi illud, quòd de nubibus di-
Iob. citur. Iob. Lustrant cuncta per circuitum, quocunq; eas voluntas gubernantis duxerit. Isti etiam Angelici viri Religiosi carnis propagatione non debent vti, sed in castitate perpetua conuersari, quia sicut di-
Luc. 20 citur. Lucæ 20. Æquales enim sunt Angelis, & sunt filij Dei, cum sint filij resurre-
Isidor. ctionis. Vnde Sanctus Isidorus dicit. Qui casti perseuerant, & virgines, Angelis Dei effi-

efficiuntur ęquales, ideſt ſimiles. Et Diuus Auguſtinus dicit, tales enim decet Domino habere miniſtros, qui nullo carnis contagio corrumpantur, ſed potius continentia caſtitatis ſplendeant. *Auguſ.*

Angelica natura quamuis à lineamentis ſit penitus aliena, tamen in corporali figura pingitur, & habere varias figuras, & membra corporalia à ſcriptura prędicantur: ſed per denominationem viſibilium membrorum intelliguntur actiones, & proprietates inuiſibilium animorum. Angeli ergo pinguntur cum longa coma, & cum capillis deorſum pendentibus: pinguntur etiam cum pennis, & alis ſurſum tendentibus: pinguntur etiam cum auribus, & naribus, cum ore, & cum dentibus, cum lingua, & cum labijs, cum oculis, & ſupercilijs, cum brachijs, & manibus, cum tibijs, & pedibus, cum coſtis, & lateribus, cum lumbis, & fęmoribus, &c. Procul dubio talis Angelus ſic figuratus poteſt dici quilibet vir perfectus, moraliter loquendo. Applicemus ergo ad viros perfectos, & Angelicos, expoſitionem quam ad ipſos Angelos applicat hic magiſter Petrus Berchorius, & dicamus cum illo. *Angelorũ pictura.* *Nota expoſitionem.*

Ca-

Capilli istorum signant sanctas cogitationes, quæ à capite mentis oriuntur, & sursum in Deum continuè reflectuntur, inferius quantum ad vitæ actiuæ regimen aliquotiés
Psal. extenduntur. Psal. Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet. Alæ eorum designant aptitudinem ad cõtemplandum, & ad mentem sursum ad Dominum eleuandum. Aures significant promptitudinem ad audiendum Nares verò denotant discretionem ad vitia fętentia repellendum, & ad virtutes odoriferas sentiendum. Quia procul dubio viri iusti mandata superiorum prómptè debent audire, & inter odores, & fętores; & inter virtutes aliorum, & vitia debẽt discernere, & vitia respuere, virtutes verò
Iac. 1. odoriferas diligere, & in eis delectari. Iac. 1. Sit omnis homo velox ad audiendum. Item isti debent habere os ad manducandum, & gustandum per deuotionem: dentes ad masticandum, per deliberationem: labia ad osculandum per charitatiuam dilectionem: linguam ad loquendum per laudem, & confessionem: oculos ad videndum per claram discretionem: manus, & brachia ad laborandum per bonam operationem: pedes, & tibias ad ambulandum per bonam affectioné: costas, & latera ad sustinendum per patientiam, & durationem: lumbos, & fœmora ad

gene-

generandum per virtutum productionem.

Nota q̄ in homine morali, os quod gustat est deuotio. Ala quæ sursum volat, & leuat est contemplatio. Dens qui masticat est deliberatio. Labium quod osculatur est dilectio. Lingua quæ loquitur est confessio. Oculus qui videt est discretio. Manus quæ laborat est operatio. Pes qui ambulat est affectio. Latus & humeri qui sustinent, sunt patientiæ firmatio. Lumbus qui generat est bona delectatio, & virtualis productio. Angeli semper pinguntur iuuenes, & non barbati, vestiti, & adornati, pedibus nudi, & discalciati, humeris pennati, seu alati. Sic verè viri spirituales, & angelici sunt iuuenes per morum candorē, vestiti sunt per honestatem vitæ, & per tectam, & extinctam omnē turpitudinem, & fęditatem Ornati sunt per virtutum, & morum venustatem. Discalciati sunt per pedum, idest affectuum nuditaté, & liberam in Domino voluntatem: alati sunt per sublimitatem contemplationis, & per eleuatam ad cœlestia animæ libertatem; quia pro certo viri Angelici in moribus semper iuuenescūt, semperq; sunt iuuenes; quia nunquam per malas consuetudines senescūt; ornati sunt per bonam conuersationē; alati per cōtēplationē; nudi pedes, per liberā affectionē; & sic figurātur in illo Angelo. Tob. 5.

De quo dicitur, ꝙ Tobias inuenit iuuenem ſplendidum ſtantem, præcintum, & quaſi paratum ad ambulandum.

De Angelo deputato ad humanam naturam custodiendam. Cap. VI.

ANgelus bonus noſtræ cuſtodiæ deputatus ad bonum nos excitat ne in vitijs dormiamus. Spiritualiter nos reficit, ne ſub onere recumbamus. Arcet Dæmones, ne læſionem ab eis ſubeamus. Inſtruit nos in ambiguis, vt certitudinem habeamus. Conducit in via, ne per inuia deuiemus.

Item iſte aſſiſtit nobis in triſtitia poſitis, vt conſolemur. Aſtat præliantibus, vt adiuuemur.

Item iſte peccata noſtra nobis reducit ad memoriam, vt erubeſcamus. Voluntatem Dei nobis annunciat, vt eam impleamus. Impedimenta aufert, vt Deo liberius ſeruiamus. Frequenter nos viſitat, & nobis precauet, ne offendamus.

Iſta omnia poſſunt applicari ad bonum prælatum ſubditorum cuſtodiæ deputatum, qui proculdubio officium habet Angelicū, & diuinum. Iſte enim debet ſubditos prædicando, ne in vitijs dormiant excitare.

Figu-

Figura. Act.12. Vbi Petrum in carcere positum, & dormientem Angelus percusso ipsius latere excitauit.

Item iste debet cibos exemplorum doctrinæ spiritualis elemosinæ ministrare. Vt 3. Reg. 19. Vbi Angelus apportauit panem Heliæ, dicens. Surge comede, quia grandis restat tibi via.

Item iste debet Dæmones, idest hæreticos, & malos, ne subditis noceant coarctare, sicut de Raphaele legitur Thobiæ 8. qꝑ Asmodeum, qui Sarræ maritos occiderat relegauit.

Item iste debet ne errent subditi ipsos in rebus dubijs informare. Vnde Angelus dicit Danieli. Dan. 9. Nunc egressus sum, vt docerem te.

Item iste debet subditos in via morum cōducere, & ne per vitia deuient, ipsis debet verbis, & exemplis viam iustitię demonstrare. Psal. Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. Exemplum. Thobię 5. Vbi Raphael Angelus dixit Thobiæ. Ego sanum ducam, & reducam filium tuum.

Item iste debet tristes, & tribulatos consolari, & confortare. Gen. 16. Vbi Angelus Agar desperanti, & superbienti consolationes, & consilia bona dedit.

Item iſte debet delinquentibus condolere, præliantes, & certantes contra fortunã, & contra vitia debet iuuare, & languentes, & ægrotantes à vitiorum vulneribus debet ſanarè: exemplo boni Angeli qui præ compaſſione ſupponitur flere. Iud. 2. Apparuit autem Angelus Domini ad locum flentium. Et Eſa 33. Angeli pacis amare flebũt. Exemplo etiam illius Angeli, qui Iacob. Luctantem voluit exercitare, & contra Eſau promiſit iuuare. Gen. 32. Exemplo inſuper illius Angeli, qui Thobiæ cecitatem voluit ſanare, & ſibi opportuna remedia adhibere ſicut apparet. Thob. 2.

Item debet Angelicus prælatus peccata, ſuis ſubditis ad memoriam reducere voluntatem Dei eis prædicare, & dicere impedimenta etiam, & ſcandala ſiq; in via morum habeant, debet pro viribus amouere. Angelus enim filijs Iſrael peccata ſua improperàuit. Iudicum 2. Angelus Chriſti Natiuitatem paſtoribus nunciauit. Luc. 2. Angelus inſuper filios Iſrael præcedens ipſos ab offendiculis liberauit. Exo. 23. Præcedet te Angelus meus, & introducet ad Eueum, Etheum, & Amorreum, quem ego conteram.

Angelus continuè Deo miniſtrat à Dei laude nunquam ceſſat, homines quibus ap-

paret

paret si in principio contristat, in fine tamen consolatur, & delectat. quando vult se ostendit, & quando voluerit se occultat: corpus aptum pro apparendo accipit, ipsumque peracto officio dimittit, & ipsum corpus in pristinum reducere consueuit, & ipse Angelus iterato à mortalium visibus se abscondit.

Hæc omnia ad bonum prælatum, & Religiosum pertinent, qui scilicet Deo continuè debet ministrare. Dan 7. Milia milium ministrabant ei. Deo debet psallere, & eum laudare. Psal Laudate Dominum omnes Angeli eius. Item Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.

Peccatores debet repræhensionibus contristare: Verumtamen, ne desperent, semper debet eos consolationibus tandem confortare. Ab hominum visibus se debet abscondere, & in claustrorum abditis occultare. Verumtamen quando necesse habet scilicet pro vtilitate sui, vel proximi exterius hominibus apparere corpus ad hoc captum, idest mores ad hoc conuenientes debet induere, quod .s. peracto officio debet deponere & iterum in abditis claustri se inuisibilé exhibere; mundi aspectus fugere, & soli Deo inuisibiliter militare. Vnde Iud. 13.

De Angelo Manue apparente dicitur, ꝙ in flamma aſcendit in cęlum, & vltra eis non apparuit.

Angeli boni, & mali non differunt inter ſe natura, ſed vitio ſecundum D. Aug. Sicut habetur in libro 12. de Ciuitate Dei. Angeli boni, & mali quamuis inter ſe habeant contrarios appetitus, non tamen ſunt naturis principijſq; diuerſi, cum Deus vtroſq; fecit: ſed voluntatibus, & cupiditatibus contrariantur. boni enim Angeli perſiſtunt in cõmuni bono, quod eſt Deus, & in eius veritate, & charitate, & æternitate.

Mali vero Angeli ſua poteſtate potius delectati, velut bonum ſuum ſibipſi eſſent; à ſuperiore bono, ideſt à Deo defluxerunt, & habentes elationis faſtum pro excellentiſsima æternitate: vnitatis faſtum pro certiſsima veritate, ſtudia partium pro indiuidua charitate; ſuperbi, fallaces, inuidi effecti ſunt.

Boni igitur beati ſunt, quia adheſerunt Deo.

Mali miſeri ſunt, quia elongantur à Deo.

Homines aliqui mali, videntur quaſi Diaboli per imitationem. Cap. VII.

Diabolus eſt Angelus malus, Lucifer ſcilicet, & quilibet alius ſequax eius: qui ſpon-

ſponte à Deo recedens in malitia exiſtit obſtinatus. Sunt igitur Dæmones, ſpiritus Angelici, qui à Deo voluntariè ſe auerterũt, in malitia obſtinati, mente ſubtiliſsimi, humanæ ſalutis inuidi, & abſq; omni lucro ſuo ad nocendum hominibus, ſemper prompti. Et ſecundum Ioannem Damaſcenum ex Dei permiſſione in omnem quam voluerint imaginem ſe transformant, & ſic tentationes varias ſolent immittere, quibus mentes decipiant, & defraudant. Afflictionem enim, & damnationem humanã ſummè appetunt; & ideo niſi à Deo, vel à bonis Angelis coerceantur, quanto magis nocuerint, tanto nocere amplius delectantur: ſicut dicit Diuus Gregorius primò morali 32. Tales vt Dęmones videntur eſſe aliqui homines mali, obſtinati, impij, & crudeles. Sicut ſunt aliqui peccatores, vſurarij, & officiales principum: qui ſcilicet à timore Dei ſponte, & voluntariè videntur recedere, & ex mera malitia ſaluti, & proſperitati hominum inuidere. Vnde Iob 34. Quaſi de induſtria receſſerunt ab eo: Bonũ enim ſociorum, & vicinorum ſubſtinere nequeunt, & ideo damnationem, & tribulationem eorum ſemper machinantur, & quęrunt. Et dato, ꝙ ibi aliquod commodum non habeant, ſæpè tamen fit vt in nocumẽ-

Dęmon ſe trãſformat.

Greg. Morali. 32.

Iob. 34.

tis aliorum, & præiudicijs se delectent, & nisi Deus, vel Angeli, ideſt nisi boni principes, & rectores prouidentia ſciant ipſos debitè coercere, & à ſuis malitijs cohibere, non quieſcunt, ſed pergunt, ad ſimilitudinem Diaboli, vt dicitur primæ Petri 5. Circuit quærens quem deuoret. Tales vt Dæmones communiter in ſuis malitijs ſunt ſubtiliſſimi. Et ideo ad defraudandũ ſimplices ſunt aſtutiſſimi. In varias enim figuras, ideſt in diuerſas fictiones, & diſſimulationes ſe ſolẽt vertere, vnumq; apparenter prætendere, & aliud latenter intendere, vt ſic melius poſſint offendere. Sicut ad literam patet de malitioſis, & falſis hominibus, qui boni amici volunt apparere, vt melius poſſint nocere. Tales enim non ſatiantur malè facere immo quanto plura mala fecerint, & magis nocuerint tanto plura ſemper deſiderant facere: quod bene figuratur Matth. 8. Vbi Dęmones ex obſeſſo fugati dicebant Domino. Si eijcis, mitte nos in gregem porcorũ, quia ſcilicet iſti, vt Dęmones quando non poſſunt plus nocere maioribus quærunt tamen facultatem nocendi minoribus, & ſic delectantur. Pſal. Non eſt timor Dei ante oculos eorum.

Matt. 8 *Pſal.*

Dæmones multis denominantur nominibus in ſcriptura, per quæ. ſ ipſorum malitiæ, & proprietates malę, denotãtur. Igitur dico, *Nota.*

quòd

ꝙ malus spiritus dr̄ Diabolus .i. calūniator.

Dęmon.i. sciēs: quia scientiā naturalē retinuit & sūma intelligētia à principio viguit.

Satan, idest aduersarius, quia humano generi semper contrarius extitit.

Beemoth, idest bos, quia mugitum desperationis emittit, & quia herbam, idest carnales spiritualiter comedit.

Leuiathan, idest additamentum eo quòd pęnam, & culpam culpæ semper addit.

Apollion, idest exterminator, eo scilicet ꝙ omnes virtutes exterminat & destruit.

Serpens, & coluber tortuosus, eo ꝙ in malitijs suis suauiter labitur, & incedit.

Leo, eo ꝙ crudeliter persequitur, & inuadit. Et proculdubio ista omnia competunt quibusdam malis malitiosis, & falsis hominibus peccatoribus & diuitibus huius mundi. Isti enim dicuntur Diaboli per similitudinē, quia pauperes calumniantur.



Dęmones. quia mundana scientia, & sapiētia, hoc est in dicēdo, cautelosa malitia solēt alios pcellere. Luc. 16. Filij huius sęculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt. *Luc. 16.*

Sathanæ, quia alijs hominibus solent aduersari, & se opponere.

Beemothi, quia sicut bos herbas, idest diuitias aliorum solent depascere.

Leuiathan, quia aliorum bona suis possessionibus

ſionibus ſolent addere.

Appolyon, quia pauperes ſolent exterminare, exhæredare, & deſtruere.

Serpentes, & colubri, quia cautè, & ſuauiter ſolent alios fraudare, & decipere.

Leones, quia ipſos pauperes ad extremũ vſque ſolent prædari, & deripere, quia ſcilicet ipſi mali homines primo, (ſicut Serpens) cautè obligant, & decipiunt innocentes, & tandem (ſicut Leones) deuorant, & diripiunt ſe ab eis defendere non valentes.
Pſal. Pſal. Inſidiatur quaſi Leo in ſpelunca ſua, inſidiatur, vt rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum.

Dęmones propriam excellentiam quærunt, bonis terrorem inferunt; ipſoſq; in hoc ſęculo pluſquam malos deprimunt, atq; lędunt. Malos verò in pręſenti promouent, & extollunt, propter peccata poteſtatem ſuper homines accipiunt. Largi ſunt in promiſſis, & mendaces in factis. Tempeſtates excitant, & faciunt, & poſt ſe veſtigia derelinquunt. Incorrigibiles ſunt, & obſtinati, ita vt mutari à malitia nunquam poſſunt.

Tales vt Dęmones dicuntur eſſe mali principes, quia ſcilicet iſti ad literam terrorem ſolent bonis inferre, & tempeſtates tribulationum contra ipſos ſuſcitare, ipſoſq; lædere,

dere, & deprimere: Malos verò extollere, & fouere; propriam excellentiam solent quærere, & propter peccata populi nõ propter sua merita Dominium obtinere, & regnare. Multa solent promittere, & pauca reddere, & vestigia malorum exemplorum post se relinquere, & à nullo possunt, aut volunt corrigi. Qua propter consequitur eos in sua incorrigibiles permanere malitia. Vnde dicitur Amos 5. Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati sunt.

Homo componitur ex quatuor elementis, cuius corpus regitur ex quatuor qualitatibus elementalibus, & custoditur ex quatuor humoribus. Cap. VIII.

DE compositione humani corporis tractaturus, ab elementalibus qualitatibus, & quatuor humoribus ex quibus constat corpus humanum, est primitus inchoandum. Quatuor itaq; sunt elementa, & quatuor elementales qualitates, ex quibus constituitur omne animatum corpus, & maximè corpus humanum, quod inter animata corpora est nobilissimum, & nobilissimis operationibus deputatum, vtpotè animæ rationalis organum, ipsiusq; actionibus ordinatum. Ex quatuor enim elementis digno-

gnoſcitur conſtare, ſcilicet igne, aere, aqua, & terra & ex iſtorum elementorū, quatuor qualitatibus principalibus ordinatur, ſcilicet calore, humiditate frigiditate, & ſiccitate. Caliditas enim eſt qualitas ignea. Humiditas aerea, frigiditas aquea, & ſiccitas terrea. Iſta enim quatuor ſunt, quæ corpus in eſſe conſtituunt, ipſumq; quamdiu in ſimul proportionata fuerint, in eſſe ſuo cuſtodiunt, & componunt. Reuera ſicut homo exterior corporalis formatur exterius: ſic etiam ſpiritualiter loquendo homo interior, & moralis formatur interius: Quia enim moralis homo eſt organum nobiliſſimę formę, ſcilicet animę, hoc eſt diuinę gratię quę veluti animat mentem noſtram: Ideo neceſſe eſt, ꝙ nobiliſſimè formetur, & ꝙ à multis virtutibus informetur. Dico igitur, ꝙ in cōpoſitione eius ſpirituali, & morali debent concurrere quatuor elementa, & quatuor qualitates ab eis dependentes. Quatuor. n. elementa ſunt.

Ignis, ideſt ardor charitatis.

Aer, ideſt nitor puritatis.

Aqua, quę congelat, & refrigerat, ideſt timor Diuinę Maieſtatis.

Terra, quę omnia ſuſtinet, & fundat, ideſt baſis humilitatis.

Ab iſtis enim quatuor ſpiritualibus elementis,

mentis, oriuntur quatuor qualitates principales, ideſt quatuor virtutes Cardinales.

Ab igne enim charitatis, procedit caliditas iuſtitię; quę eſt feruida per rigorem.

Ab aere puritatis procedit humiditas prudentię, & ſcientiæ, quę eſt clara, & lucida per ſplendorem.

Ab aqua diuini frigoris, & timoris procedit refrigerium temperantię.

A terra verò fundamentalis humilitatis, procedit ſiccitas fortitudinis, & conſtantię: res enim ſiccę magis ſunt fortes, & durabiles quam humidę. Iſtis ergo quatuor virtualibus qualitatibus interior homo noſter, ſcilicet mens, & conſcientia componitur, & ad ſuſceptionem animę, ideſt diuinę gratiæ diſponitur, & formatur. Quod bene figuratur Ezech. 1. in illo mirabili animali, quod habebat quatuor facies, & quatuor pennas: Quatuor enim facies ſunt quatuor virtutes originales, ſcilicet charitas, innocentia, timor Domini, & humilitas. *Ezec. 1.*

Quatuor autem pennæ ſunt quatuor virtutes Cardinales, ſcilicet, iuſtitia, prudentia, temperantia, & fortitudo. Exod. vigeſimo quinto. Facies quatuor circulos aureos quos pones per quatuor arcæ angulos. *Exo. 25.*

De

De quatuor qualitatibus duæ ſunt actiuæ, & duæ paſſiuæ. Actiuæ enim ſunt caliditas, & frigiditas. Paſsiuæ autem ſunt humiditas, & ſiccitas. Iſtarum enim qualitatum actione, & paſſione corpus humanum regitur, & tota eius conditio variatur.

Sic vero de calore charitatis, & de frigiditate diuini timoris, & de humiditate clementiæ, & ſiccitate abſtinentiæ, moralis homo componitur, & iſtarum virtutũ actionibus, & paſsionibus tota animę conditio ordinatur.

Sunt etiam quatuor naturales humores, qui dicuntur filij quatuor elementorum eo, quòd ex elementalibus qualitatibus complexionem trahere dignoſcuntur. Quatuor enim ſunt elementa, vt dictum eſt, ſcilicet. Ignis, aer, aqua, & terra. Quatuor etiam ſunt humores corporum, quorum complexio eſt ipſis elementis proportionata, & etiam conformata, ſcilicet.

Sanguis, qui eſt calidus, & humidus ſicut aer:

Cholera, quę eſt calida, & ſicca velut ignis.

Phlegma, quod eſt frigidum, & humidum ſicut aqua.

Melancholia, quæ eſt ſicca, & frigida ſicut terra. Iſti ſunt quatuor humores, qui ſunt corporis conſtitutiui, ſanitatis conſeruatiui,

&

& deperditi in corpore restauratiui. Quia enim corpus subiacet fluxui, ita quòd humor naturalis continuè à calore consumitur, vel à sputis, & sudoribus continuè minuitur: propterea necessaria fuit quatuor humorum præsentia, vt deperditum restauraretur, & corruptioni, & alterationi corporis obuietur, vt dicit Constantinus, 1. Theoricæ, c. 25. *Constantinus.*

Per humorem potest intelligi gratia, quę scilicet hominem interiorem, morumq; corpus, & congeriem constituit ipsumq; continuat, atq; nutrit.

Per quatuor verò elementa possum intelligere quatuor Euangelia, quæ sunt virtutũ originalia fundamenta.

Per quatuor autem humores possum intelligere quatuor virtutes Cardinales, quæ scilicet hominis interioris sunt spiritualia nutrimenta.

Homo quid sit, & quòd est moriturus.
Cap. IX.

SEcundum Aristotelem homo est animal rationale, & secundum alios est etiam visibile, mortale, & sursum erectum.

Homo est sursum erectus versus Cœlum inter

inter naturam Angelicam, & brutalem, medius: quia ſcilicet cum Angelis participat per intellectum, cum brutis verò per mortalem conditionem. Et ſtatura ſurſum erigitur, ideo, vt per rationem videatur ſuprema quærere Inferius tamen circa terram mole corporis detinetur, vt cum brutis videatur ſimilitudinem per mortem habere.
Eccl. 3. Vnde dicitur in Eccleſiaſt. 3. Vnus interitus eſt hominis, & iumentorum, & ęqua vtriuſque conditio. Sicut moritur homo. Sic, & illa moriuntur, ſimiliter, & ſpirant omnia, & nihil habet homo amplius iumento, cuncta ſubiacent vanitati, & omnia pergunt ad vnum locum: De terra facta ſunt, & in terram pariter reuertuntur. Verba ſunt ſapientiſſimi Salomonis. Quid eſt igitur homo niſi lutum, & cinis? Vnde Iob dicit ad Dominum. Memento quæſo ꝙ ſicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. Et Deus inquit ad hominem. Gen. 3. Puluis es, & in puluerem reuerteris. Huc pertinet illud per pulchrum elogium, nempè comparatus ſum luto, & aſſimilatus ſum fauillæ, & cineri.

Lutum ex aqua, & puluere conficitur, vtraq; remanente, ſed cinis fit ex ligno, & igne vtroq; deficiente. Expreſſum miſterium, ſed altius intelligendum, profundius

exa-

examinandum, & fusius explicandum.

Quid ergo lutum superbis?
Qua de re puluis extolleris?
Vnde nam cinis gloriaris?

Qui gloriatur in Domino glorietur. Ait Paulus ad Corinthios 2 Cor. 10. 2 Cor. 10.

Homo (secundum Nauarrum in compendio Manuali in præludio 1. num. 16.) in sola mente gerit imaginem Dei: in alijs partibus gerit vestigium, sicut cæteræ creaturæ, & imago Dei reperitur tum in viro, tum in muliere. Nauarrus.

Homo (secundum Diuum Augustinum) cum nascitur, cum morte nascitur: quia de Adam peccatum trahit Vnde dicit Apostolus per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt in quo omnes peccauerunt.

Ecce habemus vnum diem mortis, quòd homo trahitur de mortis propagine.

Deinde crescit homo, incipit accedere ad rationales annos, vt legem sapiat naturalem quam omnes habent in corde fixam, idest. Quod tibi non vis fieri, alijs ne feceris. Nunquid hoc de paganis dicitur, & non in natura ipsa quodammodo legitur? Furtum vis pati? vtiq; non vis pati. Ecce lex in corde tuo. Quod non vis pati noli

facere. Et hanc legem transgrediuntur homines propterea.

Ecce alter dies mortis.

Deinde data est lex diuinitus per famulum Dei Moysen: scilicet, Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, &c. Et ipsa contemnitur. Propterea.

Ecce dies tertius mortis.

Quid restat? In diebus illis venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudeæ, dicens pœnitentiam agite, parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Deinde venit Iesus Christus dedit Euangelium: prædicatur regnum Cœlorum; diffamatur vbique filius Dei; prædicatur Gehenna; vita promittitur æterna; & ipsa contemnitur, transgrediuntur homines Euangelium. Propterea.

Ecce dies quartus mortis.

Et isti quatuor dies significantur in quatriduano Lazaro mortuo. Dicit Diuus Gregorius 24. Moralium, quod quot vitæ dies peragimus, tot passibus ad terminum itineris appropinquamus.

Homo est fragilis ad durationem, & comparatur telæ, & mari. Cap. X.

CORpus humanum est debile, & fragile ad durationem, istud enim durare non potest quinimo ad modum venti subito transit, & ad instar fluminis subito labitur. Vnde dicebat Iob 7. Memento mei Deus, quia ventus est vita mea.

Ista vita verè est facilis ad destructionẽ, nihil enim facilius, quam vita destruitur, & nihil tristabilius dissoluitur, & nihil impossibilius reparatur. Vnde Dauid dicebat, de ipsa vita lamentando in Psalmo. Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Nam vita hominis est sicut tela, quæ per multos dies orditur, & texitur, attamen facillimè rumpitur, & cassatur.

Sic verè vita humana cum multos dies, & annos durauerit, vno tamen momento scinditur, & deficit. Vnde Esaias 38. ait. Præcisa est velut à texente vita mea: dum adhuc ordirer succidit me. Et sicut tela succisa nunquam potest ad eandem integritatem redire: Sic nec vita humana morte succisa potest naturaliter in pristinum statum redire. Et ideo dicebat Iob. 14. Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur Esai. 38

multis miserijs, qui quasi flos egreditur, & conteritur. & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.

Quæ est enim vita vestra (inquit Iacob. 4) Vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Et Iob 7. dicit. Militia est vita hominis super terram. Et Diuus Augustinus de labore, & miseria huius vitæ, inquit super illud Iacobi 4. Quæ est enim vita vestra &c. & dicit.

Iob. 7.

Vitam hanc dubiam,
Vitam ærumnosam,
Hanc dolores exterminant,
Honores desiccant, & æra morbidant,
Escæ inflant,
Ieiunia macerant,
Loci soluunt,
Tristitiæ consumunt;
Sollicitudo coarctat,
Securitas hebetat,
Diuitiæ iactant,
Paupertas deijcit,
Iuueutus extollit,
Senectus incuruat,
Infirmitas frangit,
Mœror deprimit, & post hęc omnia, Mors interimit, quæ ita vniuersis finem ponit, vt cum esse desierit, nec esse, nec fuisse putetur. Ecce ergo quæ miseriæ, quæ angu-

stiæ,

ſtiæ, qui motus, qui fluxus inſunt iſti, ſcilicet vitæ noſtræ.

Homo in hac vita comparatur Mari.
Cap. XIII.

Mare continuè fluctuat & mouetur, & nunc accedit, & egreditur, & nunc recedit, & deprimitur: nunc eſt clarum & nunc obnubilatur. Sic & vita humana fluctuat, & mouetur tribulationibus; erigitur elationibus, deprimitur terroribus, obnubilatur erroribus; & tota eſt in periculis poſita, & tentationibus. Et ideo dicit Eccleſiaſtes 2. Tæduit me vitæ meæ, videntem mala vniuerſa eſſe ſub Sole, & cuncta vanitatem, & afflictionem ſpiritus: moritur doctus, ſimiliter, vt indoctus. Et iccirco tæduit me vitæ meæ, &c.

Bene homo comparatur mari multiplici ratione: eſt enim Mare naturaliter, Fumoſum, ſpumoſum, clamoſum, fluctuoſum, fluxuoſum, & ſabuloſum. Sic verè homo eſt fumoſus per ſuperbiam,

Spumoſus per luxuriam.
Clamoſus per diſcordiam,
Fluctuoſus per aduerſitatem,
Fluxuoſus per proſperitatem,
Sabuloſus per cupiditatem.

Deniq; dico, quòd iſta vita terminatur, &

deprimitur per mortem. Mors enim eſt vltimus terminus ad quem, quia res cadens peruenit neceſſariò ad terram vbi ſiſtit, nec procedit vlterius, aut pertranſijt, pro eo, quòd homo mortuus terra efficitur. Mors enim eſt vitæ noſtræ terminus ad quem dum deſcendimus ad terram per mortem, vlterius non tranſimus. Et ideo Dauid Propheta in Pſalmo quærit dicens: Quis eſt homo, qui viuit, & non videbit mortem? Quaſi dicat nullus: quare? Quia pro certo Mors eſt terminus ad quem, breuis, & grauis.

Breuis, quia paruis progreſsibus procedit; quia vita noſtra inquantum eſt in præſenti, non eſt niſi temporis punctus, qui dicitur nunc. Vnde Seneca dicit, Nota homo, nulla vita eſt, niſi breuis. Nam ſi ad naturam rerum reſpexeris, etiam illius fuit vita breuis, qui inſcribi fecit in ſuo monumento ſe nonagintanouem annis vixiſſe. Grauis, quia multi eam comitantur dolores. Pſal. Defecit in dolore vita mea.

Sic igitur patet, quòd vita humana terminatur cum doloribus. Mors eſt vltimum terribilium. Mediatur cum laboribus. Militia eſt vita hominis ſuper terram.

Inchoatur cum fętoribus, quia prius fuit ſperma fętidum.

Patet etiam, quòd vita cunctorum natu-

ralium

ralium est, vt tela, quæ succiditur: Et vt mare quod fluctuat.

Amplius dico, quòd vita humana est sicut Luna quæ nunquam in eodem statu permanet: primò enim parum habet de lumine, sed paulatim fit in medio sui temporis lumine plena: & rursum paulatim minuitur lumen suum, & tandem in fine mensis totaliter obscuratur. Talis est vita humana, quia verè ista semper paulatim venit ad profectum continuum pulchritudinis fortitudinis, magnitudinis & vigoris, quousq; perueniat ad perfectionem plenitudinis naturalis. Sed verè tandem minuitur & decrescit, & ad vltimum ad obscuritatem mortis incurrit. Luna.

Quid sit humana vita. Cap. XII.

Vita aliquando accipitur pro ipsa naturali dispositione, aliquando pro morali conuersatione, & generaliter sumendo, dico, quòd inuenitur

Vita naturalis,
Vita virtualis,
Vita triumphalis,
Vita noxialis, &
Vita gehennalis.

Vita naturalis eſt vita cunctorum, de qua
Iac.4. Iac 4 Quid eſt enim vita noſtra, niſi vapor
ad modicum apparens? & deinceps exterminabitur?

Vita virtualis, eſt vita bonorum, & de iſta
Gal. 5. inquit D. Paulus ad Gal. 5. Viuo ego, iam non
ego, viuit autem in me Chriſtus.

Vita triumphalis, eſt vita Sanctorum de
Sapiē. 5 qua Sapientiæ 5. Iuſti autem in perpetuum
viuent.

Vita noxialis eſt vita malorum de qua ait
1. Tim. D. Paulus 1. ad Tim. 5. Vidua quæ in delitijs
5. eſt, viuens mortua eſt.

Vita gehennalis eſt vita damnatorum, qui ſcilicet habent vitam cum morte, & mortem
Pſal. cum vita, de qua Pſal. Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in Infernum viuentes. His ergo præmiſſis. Dicamus, ꝙ eſt vita naturalis, quæ eſt vita cunctorum viuentium. Iſta enim eſt illa, quæ ex corpore, & anima conſtituitur; Quæ aere, & ſpiritibus perficitur; Quæ à ſtellis, & orbibus influitur; Quæ cibis, & potibus ſuſtentatur; Quæ pannis & veſtibus refouetur, &c. Et iſta eſt fragilis, & defectibilis, & ex multis neceſſarijs conſtituitur. Et tamen facillimè diſsipatur: iſta ergo vita eſt quaſi tela Araneæ Cuius conditio laborioſiſsima, Cuius ſubſtantia debiliſsima, Cuius deſtructio facillima, Cuius reparatio im-

impossibilis. Sic verè tela vitæ nostræ, est difficilis ad constituendum, & facilis ad dissipandum: qui legit intelligat.

Quæ sunt necessaria ad conseruationem humanæ vitæ. Cap. XIII.

QVæ enim sint homini necessaria ad constitutionem, & conseruationem vitæ, dicitur in Ecclesiastico 29 Recupera proximum tuum secundum virtutem tuam, & attende tibi ne incidas. Et alibi 49 Eccl. 29

Initium necessariæ, rei, vitæ hominum: aqua, ignis, ferrum, sal, lac, & panis similagineus, mel, & botrus vuæ, oleum, & vestimentum. Multæ enim sunt causæ, quæ occurrunt necessariæ ad vitam corpori influendam, & habendam. Quædam enim sunt causæ efficientes, sicut Deus, Sol, Anima, & Virtus vtriusq; seminis. Quædam sunt causæ materiales, sicut vtrumq; semen, spiritus, cor, & arteriæ. Quædam sunt causæ formales, sicut intrinsecæ conditiones vitæ. Quædam sunt causæ finales, sicut illæ propter quas fit vita, &c. Sic spiritualiter loquendo ad habēdā vitā gratiæ, multę causę spirituales necessarię sunt: nam si vna virtus deficit, tota virtus, & tota vitæ substantia euanescit, iuxta

iuxta illud Iacobi 2. Ille qui deliquerit in vno, factus est omnium reus. Immo necessarium est, quòd quælibet virtus aliquid de suo influat ad hoc, quòd vitam gratiæ habeat. Sicut Astrologi de vita corporali dicunt, quòd necesse est, quòd quilibet planeta, antequam infans possit esse viuax influat ibi per vnum mensem, & sic septimo mense potest viuere, & in lucem exire, pro eo, quod tunc ibi septem planetæ per ordinem influxerunt.

Sic verè necesse est, quòd in nobis septem idest vniuersitas virtutum operetur, & influat, ad hoc quod vitam gratiæ nobis donet.

Decem ergo dico cum Ecclesiastico sunt necessaria ad vitam perfectam, & moralem habendam; videlicet.

Aqua, idest humor compunctionis.
Ignis, idest feruor dilectionis.
Ferrum, idest rigor correctionis.
Sal idest splendor discretionis.
Lac, idest candor affectionis.
Panis, idest sapor refectionis.
Mel, idest dulcor deuotionis.
Botrus vuæ, idest dolor compassionis.
Oleum, idest liquor miserationis.
Vestimentum, idest decor conuersationis.

Habeat dico, qui spiritualiter, & moraliter vult viuere compunctionis humorem, scili-

ſcilicet aquam lachrymarum. Quia ſicut piſces ſine aqua viuere non poſſunt, ſic non poteſt homo ſine irriguo lachrymarum vitam gratiæ conſeruare. Vnde dicebat Dauid. Deus vitam meam annunciaui tibi: Poſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo.

Pinus enim arbor, vrtica, ſcyrpus, & carectum herbæ ſunt, quæ ſine aqua non creſcunt, vt communiter neque viuunt. Sic pro certo vita gratiæ in homine non perficitur, niſi aqua lachrymarum radix cordis multotiens irrigetur. Vnde dicebat Iob 8. Nunquid viuere poteſt ſcyrpus ſine humore? & carectum ſine aqua? Quaſi diceret non eſt poſſibile. Sic nec homo.

Item habeat dilectionis feruorem (ignẽ) nihil enim ſine beneficio caloris poteſt viuere: ſicut patet quia circa cor vbi eſt ſedes vitæ ſolet calor præcipuus abundare: ſicut etiam patet in verè vbi propter calorem tẽporis regnantem ſolent arbores reuenire, & virere. Talis calor eſt feruor dilectionis, & charitatis: iſta enim eſt vita propria cordis. Vnde D. Auguſt. Scito anima mea, quia amor eſt vita tua. Qui non diligit manet in morte ſecundum Ioannem. Carbo enim viuere non dicitur, niſi quamdiu ignis præſentia inflammatur. Sic, quia vita gratiæ in igne charitatis prouenit, in iſto permanet,

Thob.4 & in isto consistit. Thob.8 Particulam iecoris posuit super carbones viuos.

Item necessarium est, ꝙ habeat correctionis rigorem, (Ferrum) per ferrum enim rigor iustitiæ intelligitur, inquantum est culparum peremptiuus, per quem constat, quòd vita, scilicet gratię custoditur. Vnde dicitur

Prou. 12. Prouerb. 12. In semita iustitiæ vita: iter autem deuium ducit ad mortem.

Pluuia enim, & æstas faciunt herbas virere, & frigus, & intemperies hyemis calorem naturalem ad interiora radicum compellentes, solent vitam in arboribus conseruare: sic verè vita gratiæ in homine conseruatur, si per sui vel superiorum instrumenta iustitiæ flagelletur. Tempestas enim tribulationis, & frigus punitiuæ correctionis calorem interiorem, idest feruorem affectuũ non sinit exterius ad mundana exire: imo ipsos compellit per timorem interius latitare, & sic vita gratię in radice cordis fortificatur. Vnde Dauid in Psal. Si ambulauero in medio tribulationis: viuificabis me.

Sicut enim acetum superfusum apibus oleo mortificatis solet eas viuificare: sic pęnitentia, & acris iustitię executio solet illos quos tangit ad vitam gratiæ reuocare. Arcta est enim via, quę ducit ad vitam, secun-

cundum Matth. 7.

Dicamus etiam illud Senecæ in Epistolis suis, quòd vita humana est quasi ferrum, quod si exerceas conteritur, si non exerceas rubigine consumitur. Vnde iustitia tam in nobis, quam in alijs est facienda. Vnde dicitur in Prouerbijs 16. Initium viæ bonę facere iustitiam. Qui vult ergo habere vitam gratię, habeat correctionis rigorem.

Item necessarium est, vt habeat discretionis splendorem, (sal) communiter enim homo viuere non potest sine salis discretione: sal enim condimentum sapientię, & moderamentum designat. Et ideo puero tam vitam naturalem, quàm virtualem intranti, quando baptizatur sal in ore ponitur ad denotandum, quòd tota vita ipsius salę prudentię saliatur. Marc. 9. Bonum est sal, quòd si sal insulsum fuerit, in quo illud condieris? Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos, dicit Dominus. Sapientia filijs suis vitam inspirat. Vnde ipsa dicit. Prouerb. 8. Qui me inuenerit inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.

Vita erat lux hominum, (inquit Euangelista) & lux in tenebris lucet, & tenebrę eam non compręhenderunt. Ista enim est lux spiri-

ſpiritualis, ſine qua impoſſibile eſt, quòd viuamus. Habeat igitur qui ſpiritualiter vult viuere diſcretionis ſplendorem.

Item neceſſarium eſt, vt habeat affectionis candorem. (Lac.) Quia neceſſe eſt, ꝙ ſit lacteus, & candidus per caſtitatem exterius in corpore, & per innocentiæ claritatem, & puritatem interius in affectione, & in mente. Lac enim quod eſt candidum, & dulce, candorem, & puritatem continuè innocentiæ ſignificat, ſine quo quidem lacte nequaquam vita gratiæ perſeuerat: ſicut nec puer viueret ſi in principio lac non haberet. Vnde Eſaias 45. Venite, & emite abſq; argento vinum, & lac. & ſequitur. Audite, & viuet anima veſtra. Habeat igitur, qui ſpiritualiter vult viuere affectionis candorem.

Item neceſſarium eſt, vt habeat refectionis ſaporem, (panem,) ſicut enim panis cibus corporalis vitam continuat corporalē. Sic cibus ſpiritualis, & ſacramentalis, ſcilicet panis Chriſti vitam cauſat, & efficit ſpiritualem.

Item neceſſarium eſt, quòd habeat deuotionis dulcedinem, (mel) mel enim, quod eſt dulciſſimum ſignificat deuòtionem, quæ ſcilicet nobis continuat vitam. Quia ſicut Ros de cœlo veniens continuat vitam ali-

quibus

quibus piſcibus, ſcilicet Oſtreis, & Conchylibus: ſic deuotio, & oratio Deo commendata vitam gratiæ continuat hominibus. Vnde de Beato Ioanne legitur. Matth. 3. Quòd ipſe viuebat de melle ſilueſtri, & locuſtis. Deuotio enim mel ſilueſtre dicitur, eo quòd dulcedo eius multis eſt ſilueſtris, & non domeſtica repetitur. Et ideo de iſto melle, & de iſta vita poteſt dici illud Ezechielis 16. Dixi tibi in ſanguine tuo viue, (ſequitur) ſimilam, & mel, & oleum comediſti, & decora facta es. Habeat ergo qui vult ſpiritualiter viuere deuotionis dulcedinem. Eze.16

Item neceſſarium eſt, quòd habeat compaſsionis dolorem, qui vult ſpiritualiter viuere. Quia ſcilicet dolor compaſſionis, & paſſionis Chriſti neceſſarius eſt ad vitam gratiæ conſeruandam; quod oſtenditur cum dicitur botrus vuæ. Botrus enim fuit Chriſtus, qui tres naturas in ſe continuit, ſcilicet, diuinitatis, animæ, & corporis: & qui more botri depræſſus in palo Crucis pependit. De quo dicitur Cant. 1 Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. Huius botri paſſio, & in torculari Crucis depreſſio, & vini, ſcilicet ſui ſanguinis expreſſio, deuote conſiderata, & cum doloroſa cõpaſſione meditata, vitam tribuit, & gratiam

con-

continuat, & custodit. Vnde Diuus Pau-
Gal. 2. lus ad Galatas 2. Christo confixus sum cruci, viuo autem ego, iam non ego, viuit vero in me Christus, quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, non abijcio gratiam Dei. Habeat igitur qui vult spiritualiter viuere compaſsionis dolorem.

Item necessarium est, quòd habeat miserationis liquorem, (oleum) quia in scriptura, Clementia, & pietas, & meditatio, & elemosina, & miseratio, & benignitas per oleũ designantur: sicut habetur Matth. 6. Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum, & faciem tuam laua. Et proculdubio, sicut vita corporalis in diebus ieiuniorum oleo sustentatur, sic vita gratię in ieiunio, & miseria huius mundi oleo misericordię refouetur. Vnde dicitur 11. Prouerb. Clementia pręparat vitam. Quod bene figuratum est. 4. Regum 4. vbi dicitur. De oleo ipsi viduę mulieri, quòd satisfaceret debitoribus suis, & quòd ipsa, & filij sui viuerent de reliquo. Quia breuiter sicut habetur in psal. 62. Sic in sancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam. Quoniam melior est misericordia tua super vitas. Habeat ergo, qui spiritualiter vult viuere miserationis liquorem.

Item

Item vltimo necessarium est, vt habeat conuersationis decorem, (vestimentum) vestimenta enim ad vitam corporis sunt necessaria contra frigoris tempestatem. Sic verè vestes honestæ apparentiæ, vitæ honestę cõuersationis sunt vtiles, & necessarię. Nam sicut arbor non diu viueret si corticem non haberet. Sic nec homo spiritualiter viueret si vestem honestatis, & bonæ conuersationis corticem derelinqueret. Quia sicut dicitur in Ecclesiastico, vt supra 49. Initium vitæ hominis, aqua, & panis, & vestimentum, &c. Ecce quot sunt necessaria ad vitam moralem, virtuosam, & spiritualem habendam, & conseruandam.



De corpore. Cap. XIIII.

Corpus potest dici omnis rerum creaturarum substantia, exceptis spiritualibus. Omnia enim, quæ sunt, aut sunt spiritualia, aut corporalia. Vnde propriè corpus dicitur omne, quod ex materia, & forma constituitur. Cum igitur sit dare corpora cœlestia, quæ non corrumpuntur, corporaque elementalia, quæ continuè variantur, & corpora elementalia, seu composita, quæ corrumpuntur,

alterantur, & generantur: longum esset talibus immorari. Igitur omissis alijs de corpore animalis carne, scilicet, & ossibus constituto, & potissimè de corpore humano solùm aliquid dicam.

Spiritualiter loquendo, per corpus humanum intelligitur caro nostra mortalis. Qui scilicet, sicut mercatores inuoluunt merces preciosas aliquo grosso panno, qui scilicet vento, & pluuiæ exponatur, de quo si rumpatur non multum curantur, vt ipsæ merces, quæ sunt interius conseruentur.

Sic per similitudinem dico, quòd Deus dedit corpus, seu carnem sicut saccum vilem, qui animam præciosam contineat, & pro ea à vitijs conseruanda pęnis, & laboribus se supponat. Esai. 50. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Esai. 50

Istud enim corpus parum debet reputari, & de ipso si rumpatur, aut lanietur, cum parum valeat non curari, vt sic anima, quæ de se est præciosa valeat conseruari. Matth. 10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest, & animam, & corpus perdere in gehennam.

De

De Anima in genere. Cap. XV.

ANima (ſecundum Ioannem Damaſcenum) eſt quædam ſubſtantia viuens, ſimplex, incorporea, inuiſibilis, immortalis, rationalis, intellectualis, infigurabilis, organico corpore vtens, ipſumq; regens, & inhabitans, & totam in membris ſingulis ſe diffundens, & ipſi corpori augmentationē, ſenſum, & generationem tribuens, liberè, & voluntariè agens, & libero arbitrio ſemper fungens, & imaginem Dei in ſe ſemper repræſentans.

Per animam, quæ corpori eſt prælata, ipſumq; portat, viuificat, atq; regit, poſſum intelligerem præſidem; qui procul dubio corpori alicuius collegij, vel Eccleſiæ eſt Prælatus, ipſumq; per gratiam occaſionaliter, & miniſterialiter viuificat, & per diſcretionem gubernat. Iſte igitur debet eſſe viuens, ſcilicet vita gratiæ.

Simplex, ideſt ſine plica cuiuſcunq; malitiæ. Incorporeus, ſine carne, carnalis immunditiæ. Inuiſibilis, per cautelam ſuipſius cuſtodiæ. Immortalis, per continuitatem bonæ perſeuerantiæ. Quia ſcilicet iſte debet eſſe immortalis nunquam per culpam deficiendo, ſed ſemper in vita gratiæ perſe-

uerando. Et debet esse inuisibilis nunquam se propalando, sed bona sua ab aspectibus hominum abscondendo; quia qui talem immortalitatem vult habere, debet se absconditum, & inuisibilem exhibere. 1. ad Timoth. 2. Regi seculorum immortali, & inuisibili, soli, Deo honor, & gloria.

1. ad Timo. 2.

Iste etiam debet esse rationalis per prudentiam, & discretionem; Intellectualis per fidem scientiam, & cognitionem: infigurabilis per amotam omnem hypocritam fictionem: chorum, & collegium inhabitās per præsentem visitationem; ipsumque regens per iurisdictionem monens ad bonam operationem, augmentans per spiritualem, & temporalem fęcundationem, & promotionem. Sibiq; tribuens, & ministrans sensum, & rationem, & bonorum operum generationem, & productionem voluntarie etiam agens, & operans per eleuationem mentis in Deum & per spontaneam operationem, & eductionem actuum bonorum Imaginem Dei habens per conformationem bonam ipsi Deo. Et in membris, & subditis omnibus, & singulis se diffundens, per cuiuslibet curam dilectionem, & gubernationem. Quia videlicet bonus præses debet se omnibus subditis intimare, & quemlibet per charitatem inhabitare, & de salute

lute cuiuslibet cogitare, & non per acceptionem personarum vnum dimittere, & alium promouere, sed omnibus se totum, & totaliter exhibere, vt sic de illo dicatur illud Sapientiæ 6. Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus: nec verebitur magnitudinem cuiusquam: quoniam pusillum, & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio. Ad vos ergo Reges sunt hi sermones mei, vt discatis sapientiam, & non excidatis.



De tribus potentijs animæ. *Cap. XVI.*

ANima corpus non occupat, neq; grauat, & tamen ipsum viuificat, atque portat. Habet autem anima similitudinem Creatoris, quia scilicet respectu animæ, & non corporis ad similitudinem Dei factus est homo, secundum Diuum Augustinum. Habet enim anima tres potentias, scilicet, rationalem, concupiscibilem, & irascibilem. Vel etiã intellectum, voluntatem, & memoriam: & tamen in essentia non est multiplex, immo simplex. Talis vt anima põt dici quilibet vir bonus, & spiritualis. Quia pro certo talis nõ dat occupationẽ, vel grauamen, aut turbationẽ

corpori Ecclesiæ, quod inhabitat, immo suis bonis doctrinis, & exemplis ipsam portat, vegetat, viuificat, & substentat. Iste enim idem, & vnus permanens, & simplex, sine plica malitiæ perseuerans, habet multas spirituales potentias, & virtutes.

Habet enim rationalem, idest virtutem prudentiæ, & discretionis.

Habet concupiscibilem, idest virtutem charitatis, & dilectionis.

Habet irascibilem, idest virtutem zeli iustitiæ, & seueræ correctionis, & spiritualis contra vitia indignationis.

Habet intellectum scientiæ, & verè cognitionis.

Habet voluntatem bonæ affectionis.

Habet memoriam beneficiorum Dei, & suæ beniuolæ saluationis. Sic enim habet similitudinem Dei & conformitatem in quãtum creaturæ est possibile, & sic se conformabit moribus Creatoris. Et sicut anima habet prædictas potentias naturales, ita & vir bonus debet habere illa, quæ per istas intelliguntur conditiones morales, & virtuales.

Anima quamuis de se sit purissima, tamẽ propter coniunctionem cum carne, multas incurrit passiones, & sordes. Sic verè purus homo, & bonus, quamuis purus, & bonus

nus existat, & mundus; si tamen carni, id est alicui carnali personæ associatus fuerit, & coniunctus, sordes vitiorum contrahet, & ipsius malis exemplis, malas conditiones faciliter incurret. Vnde Ecclesiasticus 13. Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea: & qui communicauerit superbo induet superbiam. Eccl.13

De proprietatibus animæ. Cap. XVII.

ANima rationalis diuinæ imaginis est repræsentatiua, omnium rerum similitudinis contentiua, semel creata tam in corpore, quàm extra corpus est, in esse perpetuo permansiua, forma est corporis quod habitat, & ipsius perfectiua rerum omnium est appræhensiua, & per reflectionem suipsius, supra se, est suipsius cognitiua. Et secundum Philosophum, ista ad modum tabulæ rasæ, est impresionem omnium receptiua boni, & mali est diiudicatiua, & liberè electiua. Corporis quod inhabitat est naturaliter dilectiua, & coniunctionis cum eodem est naturaliter affectiua, boni naturaliter est appetitiua, & mali naturaliter fugitiua: licet enim ex defectu liberi arbitrij quandoq; malum appetat, synderesim ta-

men remurmurat, atq; reclamat, quia naturaliter bonum amat.

Anima enim vegetabilis diligit esse.

Anima vero sensitiua diligit bene esse.

Sed anima rationalis appetit optimum esse, & ideo non quiescit quousque optimo se coniungit. Locus enim animæ rationalis est Deus, ad quem naturaliter mouetur, vt appetitus eius in eo quiescat.

Ista possunt applicari ad quemlibet virũ iustum, spiritualem, & religiosum, qui est viuificator corporis Ecclesiæ quam frequentat. iste enim debet imaginem Dei per conformitatem bonorum operum repræsentare. Semel verò creatus idest ad religionem conuersus, non debet amplius retrocedere, sed in tali esse, perpetuo permanere: res omnes debet appræhendere, & in laudem Dei, & Creatoris conuertere. Et supra seipsum debet reflecti, & conditionem propriam considerare, & cognoscere, & iudicare. Vnde Diuus Bernardus in meditationib; suis ait. Multi multa sciũt, & seipsos nesciũt.

Bernardinus. Item iste talis debet esse tanquam tadula rasa in qua nihil habeat propriè voluntatis, sed sit receptiua omnium, quæ à Deo, vel superiore sibi impressa fuerint, vel commissa. Iste etiam inter bonum, & malum debet iudicare, & discernere: bonum sponte, &

& liberè eligere, malum vero fugere, & dimittere. Item esse, bene esse, & optimum esse debet quærere. Et ideo optimo scilicet Deo se debet coniungere, & conformare, & in ipso solo quiescere, & manere. Vnde D. Aug. inquit. Inquietum est cor meum Domine donec quiescat in te. *Augus.*

Corpus verò, quod iste inhabitat, idest beneficium, vel claustrum, quod obtinet debet diligere, & ab eo nunquam velle recedere, sed ibi personaliter residere. Quod est contra Religiosos vagantes, & residere nolentes, cum tamen dicatur Lucæ 10. In quãcunq; domum intraueritis, ibi manete. Et etiam, Nolite transire de domo in domũ, &c. Vna anima rationalis, vnum corpus sibi appropriat, & intrare aliud non anhelat. Nunquam enim inuenitur vna anima duo corpora inhabitare, immo vno contenta semper in ipso appetit latitare; Quinimo quando per mortem inde exire compellitur, ad vertendum ibidem continuè inclinatur, nec ex toto beatificatur quousque proprio corpore in die iudicij induatur. Sic verè quilibet homo spiritualis, & Religiosus, (vt anima rationalis) vno corpore. idest vno beneficio debet contentari, nec ad plura inhabitanda corpora, idest plura obtinenda beneficia debet eius affectio *Luc. 10*

dila-

dilatari, nec de corpore in corpus, ideſt de beneficio in beneficium, de ſtatu in ſtatum, debet diſcurrere, vel transferri, ſed in corpore quod primò deſponſauit, ideſt in ſtatu, vel beneficio, quod primo obtinuit, niſi ſit aliud canonicum quod obſiſtat, debet continue hoſpitari. Cuius contrarium tamen faciunt ambitioſi, qui videntur ſequi opinionem Pythagoræ, qui poſuit animas tranſire de corpore, in corpus: quia ſcilicet iſti ſemper volunt de beneficio in beneficium tranſuolare. Contra illud Lucæ 10.
Luc. 10 Nolite tranſire de domo in domum. Vita nequam hoſpitandi de domo in domum dicit Eccleſiaſtes 29.

Anima, poſſum dicere per ſimilitudinẽ, eſt mens noſtra, corpus eſt locus vbi habet habitare: & maritus quem habet diſpenſare ipſe eſt Deus. Iſti igitur debet perpetuo cohabitare, & ab ipſo non recedere, nec per peccatum ad alia corpora, ſcilicet ad mundum, carnem, vel Diabolum ſe transferre, ſed dicere cum Pſal. Inhabitabo in tabernacula tua in ſecula. Quia ſi caſu aliquo, ſcilicet per mortem peccati talem locum ſuum dimiſerit, debet appetere ad ipſum redire, & quouſq; ad ipſum per gratiam redierit non quieſcere nec ceſſare. Hierem. 3. Patrem vocabis me, & poſt me ingredi non ceſſa-

cessabis. Sed quomodo si contemnat mulier amatorem suum? Sic contempsit me domus Israel. Dicit Dominus: Vox in vijs audita est ploratus, & vlulatus filiorum Israel: quoniam iniquam fecerunt viam suã, obliti sunt Domini Dei sui. Conuertimini filij reuertentes, & sanabo auersiones vestras.

De tribus virtutibus animæ. Cap. XVIII.

ANima in corpore triplicem virtutem habet, scilicet, Naturalem, vitalem, & animalem. Naturalis autem virtus est, qua res generat, & in esse producit, qua etiam res nutrit, & in esse custodit, qua insuper res augmentat, & ad complementum producit.

Vitalis virtus est, qua vitam sensitiuam corpori infundit, qua cor, & pulmonem mouere facit, & qua anhelitum, & pulsum, mediantibus cordis spiritibus introducit.

Animalis verò virtus est, qua motum voluntarium perficit, qua sensum communẽ, & imaginationem causat, & qua sensus particulares efficit, & ministrat.

Naturalis virtus sedem habet in hepate.

Vitalis virtus sedem habet in corde.

Ani-

Animalis virtus sedem habet in cerebro, seu in capite.

Per animam possumus intelligere Deum, quia sicut anima regit corpus, & in qualibet parte corporis est tota, sic Deus regit mundum, & in qualibet parte eius est totus. Vt
Ps. 138 habetur in Psalmo 138. Vnde dicitur: Quo ibo à spiritu tuo: & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in Cęlum tu illic es: Si descendero in Infernum ades, &c. Deus vbique.

Dico igitur, ꝙ cum in corpore Ecclesiæ sint tria membra, idest tria genera personarum: scilicet, hepar, cor, & cerebrum, idest, Coniugati, Prælati, & Religiosi; ipse Deus istis membris triplicem administrat virtutem.

Coniugatis enim competit virtus naturalis, quia scilicet isti prolis generationi, agriculturæ, & mundi nutritioni, ipsiusque augmentationi, & multiplicationi vacant.

Prælatis competit virtus vitalis. Isti enim verbis, & exemplis debent corpus Ecclesiæ viuificare, spiritum gratiæ omnibus ministrare, & anhelitum deuotionis, pulsumq; bonæ operationis in omnibus generare.

Religiosis verò competit virtus animalis, isti enim corpus Ecclesiæ, ad bene operandum

dum mouent, & ibidem sensum discretionis, & compaisionis causant. Et sic dico, q cerebrum, ideſt Religioſi sunt in capite, ideſt in loco eminentioris perfectionis, vt Deum iugiter contemplentur.

Cor ideſt Prælati sunt in medio, ideſt in ſtatu iuſtitiæ, & iuriſdictionis, vt ad omne æqualiter ordinentur.

Hepar verò, ideſt coniugati ſunt in infimo, ideſt in ſtatu ſubiectionis, vt per ipſos omnes nutriantur, & ſubſtententur.

Iſti enim ſuut tres ſtatus ſaluandorum de quibus poteſt dicere illud, quòd Dominus dicit in Eccleſiaſtico 25. In tribus beneplacitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo, & hominibus. Concordia fratrum, & amor proximorum. Et vir, & mulier bene ſibi conſentientes.

Tres ſpecies odiuit anima mea, & aggrauor valde animæ illorum. Pauperem ſuperbum: Diuitem mendacem: & Senem fatuum, & inſenſatum.

De neceſſitate anhelitus in homine.
Cap. XIX.

CVm continua attractio aeris ſit neceſſaria virtuti vitali, ita q ſine iſta nō poteſt animal

animal viuere, nec in esse debito permanere; illud tamen est verum, quòd iste anhelitus, seu ista aeris attractio potest ex varijs causis impediri. Hoc enim accidit quandoque ex cerebri oppilatione, vt in apoplexia. Aliquando ex cordis læsione, vt patet in vulneratis. Aliquando ex caloris repercussione ad interiora, vt patet in timidis. Quandoq; ex pulmonis perforatione, vt patet in phisicis. Quandoq; ex repletione corporis, vt patet in submersis. Quandoq; ex obstructione canalis seu thoracis, vt patet in astmaticis. Quandoq; ex cordis venenatione. Quandoq; ex nimia rarefactione caloris, sicut patet in his, qui se in aqua calidissima balneauerunt. Quandoque ex nimia infrigidatione, vt patet in illis, qui supra nauem dormiunt, & morantur. His ergo, & multis alijs modis impeditur anhelitus, & deficit vitalis spiritus seu virtus. Sic vere cum aeris, idest Spiritus Sancti attractio quæ scilicet fit per deuotionem, & orationem, sit omnino necessaria ad conseruationem vitæ gratię. Istud tamen est verum, quòd huiusmodi attractio, oratio, & deuotio multipliciter impeditur. Et hoc procul dubio quando cerebrum, idest sensus oppilatur per ignorantiam. Quando cor, & mens vulneratur vulnere inuidiæ.

Quando timor desperationis interius generatur, & calor spei repercutitur, & fugatur. Quando pulmo idest affectio perforatur, & ad mundana exterius aperitur. Quando homo aquis, idest delicijs & diuitijs submergitur, & canalis cordis constringitur, & repletur. Quando aer idest exterior societas corrumpitur. Quando venenum malæ suggestionis ad cor interius intimatur, & profundatur. Quando nimio calore mali amoris anima rarescit. Et quando nimio frigore mali timoris nerui conscientiæ coarctantur. Istæ sunt enim quædam passione, & quædam vitia, & infectiones, quæ anhelitum deuotionis impediunt, & quę per mortem culpę, & pœnę animam suffocant, & occidunt, & vitam gratiæ sibi auferunt, atq; tollunt. Quia sicut scriptum est Ezech 18. Anima, quæ peccauerit ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij. Iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum.

Homo apostata (dicit Salomon in Prouerbijs 6) Vir inutilis est, graditur ore peruerso, annuis oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia seminat. Huic ex templo veniet perditio sua, & subito contere-

teretur, nec habebit vltra medicinam. Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima eius. Oculos ſublimes, linguã mendacem, manus effundentes innoxium ſanguinem, Cor machinans cogitationes peſsimas, Pedes veloces ad currendum in malum, Proferentem mendatia teſtem fallacem. Et eum, qui ſeminat inter fratres diſcordias. Conſerua fili mi, præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. Liga ea in corde tuo iugiter, & circonda ea gutturi tuo. Cum ambulaueris, gradiantur tecum. Cum dormieris, cuſtodiant te, & euigilans loquere cum eis. Quia mandatum lucerna eſt, & lex lux, & via vitæ increpatio diſciplinæ.

De generatione ſpiritus in homine. Cap. XX.

SPiritus eſt quædam ſubſtantia aerea virtutes corporis excitans ad ſuas peragendas actiones. Et generatur (ſecundum Medicos) in hepate à ſanguine per fortem caloris ebullitionem, & ipſius ſanguinis in aeream ſubſtantiam conuerſionem. Eſt autem triplex ſpiritus in corpore: ſcilicet, Naturalis, Vitalis, & Animalis.

Natu-

Naturalis est ille spiritus, qui in hepate generatur, & virtutem naturalem regit, & ei dominatur, & per eius adiutorium corpus nutritur, & augmentatur.

Vitalis autem spiritus est ille idem primus, qui ad cor trāsiens amplius depuratur, & in vitalem spiritum mutatur, & per arterias diffusus vitam & pulsum operatur.

Animalis vero spiritus est ille idem, qui ad cerebrum missus, ibi amplius depuratur, & in animalē spiritū conuertitur, virtute cuius, sensus, & motus toti corpori ministratur.

Per istas tres species spirituum, possumus intelligere tres species gratiarum, videlicet,

Gratiam pręuenientem, Gratiam cooperantem, & Gratiam perficientem.

Gratia enim pręueniens, seu gratis data est sicut spiritus naturalis: quia scilicet facilis est ad habendum, ac si naturaliter haberetur. Minus etiā perfecta est alijs: quia ista non sufficit ad salutem: faciliter enim euaporat, & in nihilum cedit. Vnde Psal. Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam. in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. *Psal.* Gratia vero cooperās & gratum faciens est spiritus vitalis, q̄ s vitā animę tribuit, & pulsum bonorū operū idest affectuū introducit. Ezech 1. Spiritus enim vitę, erat in rotis. *Ezec. 1.* Gratia autem perficiens, & consūmans est

ſpiritus animalis; quia ſcilicet iſta eſt, quæ ſenſum diſcretionis perficit, & motum bonorum operum continuat, quæ ſpiritualia facit ſapere, & motum bonorum operum conſumare. Vnde dicitur Sapientiæ 7 Optaui, & datus eſt mihi ſenſus, & inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ, & præpoſui illam regnis, & ſedibus: & diuitias nihil eſſe dixi in comparatione illius. Quia pro certo illi, qui ſpiritum Sapientiæ, gratiæ, & perfectionis habent, reſpectu illorum æquiparabile nihil putant. Iſti ergo ſpiritus, & iſtæ gratiæ virtutes noſtras naturales ad bonum excitant: vt ſcilicet ſecundum Deum actus ſuos exerceant, atq; agant. Vna etiã in aliam conuertitur, quia ſcilicet de gratia gratis data; fit gratia gratum faciens; tandem in gratiam conſumantem, per maiorem decotionem dilectionis, conuertitur, & mutatur. Econtra autem nunquam fit iſtorum ſpirituum reciprocatio, quia ſcilicet ex quo quis ad gradum perfectionis, & gratiæ conſummantis potuerit attingere, nunquam debet ad alios gradus minus perfectos, qui præceſſerant retroire. Vnde Pſal. Spiritus vadens, & non rediens. Poſſum etiam dicere, ꝙ iſti tres ſpiritus mihi ſignificant tres virtutes Theologicas, ſcilicet fidem, & ſpem, quæ ſunt ſicut ſpiritus natu-

Sap. 7.

naturalis, & vitalis. Naturale est enim habere fidem, & sperare bonum. Charitatem, quę est sicut spiritus animalis à quo, scilicet sensus, & sapientia, & notitia rerum ad salutem oriuntur.

Sunt quidam qui putant saluari (vt refert Diuus Augustinus) licet non sint pręcisi ab Ecclesia, vel hęresi, vel scismate, tamen male viuunt & bonis operibus, vel eleemosinis non redimunt peccata sua. Dico, ꝙ falluntur, quia tantum saluabuntur ex fide, quę per dilectionem operatur: si autem male, & non bene operatur. Proculdubio secundum Diuum Iacobum, Mortua est in semetipsa. Et Diuus Paulus ad Galatas 5. inquit. In Christo enim Iesu neq; pręputiũ aliquid valet, sed fides, quę bene per dilectionem operatur.

Dub.

Resp.

Gala. 5

Spiritus in corpore, secundum membra quibus coniungitur diuersa, diuersimode operatur, per totum enim corpus diffusus, diuersis membris se incorporat, & secundũ membrorum diuersitatem, operationes diuersas peragit, & pertractat. Et sic dico, ꝙ in hepate cooperatur virtuti naturali, in corde virtuti vitali, & in capite virtuti sensuali, & in oculo virtuti visuali, & sic de singulis. Non est enim aliquod membrum in corpore, quin ibi spiritus humanus aliquas

exerceat actiones secundum ipsorum membrorum varias dispositiones, & conditiones, hoc secundum Auicēnam, & Constantinum. Proculdubio per istum spiritum humanum, qui est quædam substātia aerea in neruis, & venis,& arterijs constituta.

Possum intelligere Spiritum sanctum, qui aereus propter puritatem, & propter spiramen gratiæ dici potest. Iste ergo per omnia membra, idest per omnem statum corporis Ecclesiæ diuersimodè de se diffūdit,& diuersas gratias & virtutes in diuersis peragit, & effundit. Vnde dicitur Ioel. 2. Erit post hæc: effundam de spiritu meo super omnem carnem.

Et sic dico, ꝙ isto spiritu mediante in hepate, idest in viris misericordibus, & inferioribus secularibus est virtus naturalis, & ista est clementia, seu pietas, qua scilicet alij per eos nutriuntur.

In corde, idest in viris deuotis, & feruentibus abundat virtus vitalis, idest gratia, & charitas.

In cerebro, idest in viris discretis, & prudentibus abundat virtus animalis, idest sapientia,& multiplicitas scientiarum. Et breuiter per istum Spiritum habet Ecclesia, vel anima; visum fidei, odoratum spei, auditum charitatis, & obedientiæ, gustum deuotionis,

nis,& gratiæ, tactum compassionis, motum bonę operationis, loquelam confessionis, sensum perfectæ discretionis; & ideo bene dicit Apostolus 1. ad Corinth. 12. Vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatem Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ secundũ eundem spiritum: alij fides in eodem spiritu: alij gratia sanitatum in vno spiritu: alij operatio virtutum: alij prophetia: alij discretio spirituum: alij genera linguarum: alij interpretatio sermonum, hæc autem omnia operatur vnus, atque idem spiritus diuidens singulis prout vult. 1. Cor. 12.

De pulsu in homine. Cap. XXI.

PVlsus est effectus spiritus vitalis, qui nihil aliud est quam motus arteriarum, ex cordis, dilatatione, & constrictione causatus: propter quod ipsius cordis dispositio in pulsu optimè declaratur: & ideo pulsus brachiorum à Medicis tangitur, vt cordis complexio cognoscatur. Talis pulsus significat opera, vel affectus, qui procul dubio ab ipso corde originaliter exeunt. Et secundum dilatationem amoris, vel constrictionem timoris ipsius cordis, pulsant

exterius, & procedunt. Prudens ergo Medicus, & præses subditorum pulsus, & operationes debet palpare, & tangere, & examinare, vt sic possit cordium ipsorum dispositionem cognoscere, & videre. Quia proculdubio secundum quod voluntas interius bene, vel male disponitur, secundum hoc pulsus exteriorum operum ordinatur, & declaratur. Ideo Medicus, seu præses, vel Prælatus, cuilibet subditorum sic tangendo, & examinando debet dicere illud Genesis 27. Accede ad me, vt tangam te, fili mi, & probem vtrum tu sis filius meus &c. *Gen. 27*

Medicus tangit pulsum in brachio. Quod est magis congruum, & honestum Est enim hoc locus publicus, & expositus, quod sine verecundia potest tangi. Verecundũ enim esset secretiores partes corporis tangere, & ideo ordinatum fuit, vt pulsus brachij tangeretur, quod sine, scilicet vtriusq; verecundia tangitur, & vbi etiam dispositio cordis, propter propinquitatem cordis melius declaratur.

Medicus est præses, vel Iudex, vel Prælatus, iste quando tangit, & examinat peccatorem, & reum, non debet tangere, vt communiter nisi membris manifestis, & in criminibus obiectis, non de illis, qui nesciuntur, ne forte propter reuelationem alicuius

occulti

occulti scandalum oriatur. Micheę 6. Non quęras iniquitatem in domo impij.

Variæ sunt diuersitates pulsuum, quia scilicet pulsus aliquando est fortis, aliquando debilis, aliquando asper, aliquando mollis, & sic de alijs. Isti tamen pulsus multis modis, & occasionibus variantur, & in diuersis diuersimodè disponuntur. Et inde est, quod pulsus est fortior in viris, quam in fœminis, in calidis, quam in frigidis, in siccis, quam in crassis. Pingues enim fortem pulsum nō solent habere, & hoc propter frigidiorem complexionem, & propter arteriæ in carne occultationem. Item fortior est in iuuenibus, quàm in senibus, quia pro certo pulsus ex maiori calore in iuuenibus augetur, & ex frigiditate ætatis in senibus debilitatur. Fortior etiam est in hyeme, quam in æstate, quia scilicet in æstate propter dissolutionem feruoris virtus fit debilis, quę in hyeme propter adunationem fit fortis. Sic verè cum multę sint pulsuum, idest operationum, & affectionum diuersitates interiorum, istud est verum, quòd istæ meliores, & fortiores existunt in viris idest in hominibus virtuosis, & fortibus, & in calidis, idest in deuotis, & charitatiuis, & amore Dei feruentibus, & in macilentis idest in pauperibus, & abstinentibus, in iuuenibus,

idest in puris nouis,& innocentibus,in hyeme, ideit in frigore tribulationum viuentibus,& conuersantibus quàm in illis. qui contrariæ sunt cōditionibus & qui modicæ sunt perfectionis. Quia proculdubio pulsus operationum affectuum mollis eit, & debilis in fęminis,idest in hominibus mollibus & effęminatis, in frigidis idest in tepidis indeuotis & pigritia congelatis in pinguibus, idest in diuitibus delitiosis & delicatis in senibus, ideit in viris induratis in moribus malis, in ęstate, idest in prosperitate viuentibus,& ardore concupiscentiæ inflammatis. Ista enim omnia,videlicet æstas, prosperitas,senectus malæ consuetudinis, pinguedo deliciarum, frigiditas indeuotionis,& fęmineitas imperfectionis,pulsum operum & affectuum mollificant,& diminuunt,& valorem & fortitudinęm tollunt: Quia breuiter de talibus potest dici illud Sapientiæ. Vacua est spes illorum, & labores sine fructu,& inutilia opera eorum.

Sap. 3.

Homo dormiens pulsum habet paruum, & tardum post somnum vero propter caloris confortationem habet pulsum fortem velocem, & magnum Sic ille qui dormit in delitijs & in peccatis huius mundi, pulsum affectionis & deuotionis habet paruum tepidum,& tardum;sed postquam de tali som-

no

no per pęnitentiam ſurrexerit, pulſus ſuæ orationis,& deuotionis, & etiam operationis maior, & fortior apparebit. Calor enim charitatis, & feruoris præcedens ex ſomno peccati fortior efficitur. Vbi autem abundauit delictum ſuperabundauit, & gratia, inquit Apoſt. ad Rom. 5. Rom. 5.

De ſenſibus in homine. Cap. XXII.

SEnſus eſt actus virtutis ſenſitiuæ ipſius animæ, per quem appręhendit formas rerum exteriorum Et diuiditur ſenſus in communẽ,& particularẽ. Quia. ſ. ſenſus cõmunis habet ſedẽ in ventriculis cerebri. Senſus vero particularis in mẽbro deputato organo.

Sunt enim quinque ſenſus particulares, qui communi ſenſui famulantur res exteriores apprahendendo, & ad ſenſus communis iudicium interius remittendo.

Sẽſus vero cõmunis intus eſt in cerebro de rebus acceptis,& appręhenſis iudicãdo;& diſcernẽdo. Habet autẽ iſte ſẽſus cõmunis tres cellulas in cerebro, ſicut tres ſedes in qbus diuerſimodè operatur. ſ. primã, & anteriorẽ vbi vtitur appręhẽſiua, Secũdã,& mediã vbi vtitur iudicatiua, & cognitiua poſteriorẽ,& vltimã ubi vtitur memoratiua, Sicut per oĩa

dicunt

dicunt Ioannicius, & Constantinus Philosophi.

Sic vere in corpore Ecclesiæ, est dare sensum particularem, & communem: pro eo quia ad ipsum pertinet de communi vtilitate tractare. Vnde Sapientiæ 6. Æqualiter est illi cura de omnibus. Quilibet verò officialis est sensus particularis ad quem pertinet de particulari negotio cogitare. Ecclesiastici 38. Vnusquisque in arte sua sapiens est. Ad istos ergo sensus particulares, idest sensatos officiales pertinet exteriora negotia recipere, & ea intus ad sensum communem, idest ad Principis iudiciũ reportare qui scilicet ipse debet appræhendere, & audire, & tandem ipsa discernere, & iudicare, & finaliter memoriæ commendare. Quia videlicet ad Principem pertinet tres habere cellulas, idest discretionis, & prudentię gradus, videlicet

Imaginatiuam, seu fantasticam qua imaginatur, quid faciendum sit de futuris, & nec dum expletis.

Rationalem, seu logisticam, qua ordinet, & iudicet de pręsentibus, & propinquis: Memoratiuam vero, qua recordetur de prę teritis, vt sic accedat verbum Senecę dicentis: Si prudens fuerit animus tuus tribus temporibus dispensetur.

Futu-

Futura præcauere,
Pręsentia ordinare,
Pręterita memorare.

Sensus communis potest dici ratiò cuiuslibet, quę scilicet debet habere istas tres cellulas, idest istos tres discretionis gradus, vt supra.

Sensus particulares sunt quinq; in corpore, per quos omnia particularia ab anima cognoscuntur. Quia secundum Aristotelem. Omnis cognitio nostra incipit a sensu.

Isti autem sunt.
Visus, qui iudicat de coloribus.
Auditus, qui iudicat de sonis & vocibus.
Gustus, qui iudicat de saporibus.
Olfactus, qui iudicat de odoribus.
Tactus, qui iudicat de solidorum conditionibus.

Sic vere anima, idest homo debet habere quinq; sensus spirituales, videlicet
Visum prudentię.
Auditum iustitiæ.
Gustum, & Olfactum temperantię.
Tactum vero fortitudinis, & potentię.

Possumus etiam dicerę, quòd quinq; sensus hominis sunt
Visus discretionis.
Auditus obedientię, & patientię.
Gustus deuotionis.

Odoratus meditationis.
Tactus compassionis & auxiliationis.
Et sic sensus erit sicut probatica piscina, quæ habebat quinque porticus Sicut habetur Ioan. 5. Est autem Hierosolymis probatica piscina quæ cognominatur Hebraice Bethsaida quinq; porticus habens.&c.

De visu. *Cap.* XXIII.

VIsus est sensus corporis subtilior, & nobilior inter sensus, & ideo remotiora potest percipere, & de obiectis coloribus à longe iudicare Iste sensus in diuersis animalibus diuersimodè se habet, quia scilicet in quibusdam animalibus ad visum cooperatur claritas, sicut patet in aquilis. In quibusdā obscuritas,& mediocritas, vt patet in catis in vespertilionibus,& noctuis,&c Sic verè cū visus & virtus cognitionis,& discretionis sit inter alias virtutes nobilior, pro eò. si quia quæcunq; remota suæ subiacent potestati. Quia scilicet homo post visum intellectus sui cogitare, & iudicare potest non solum de præsentibus, & mundanis, verum etiam de rebus remotissimis, supremis scilicet, & infernalibus. Istud tamen verum est, quia visus discretionis in varijs varie

varia-

variatur. Aliqui enim bene vident in die, & male in nocte, & in obſcuritate negotiorum ſecularium, quia ſcilicet ſagaces ſunt in ſpiritualibus, ignari vero in temporalibus. Vnde iſti, ſunt illi, quibus dicitur. Marc. 13. Videte, vigilate, & orate. Aliqui verò ſunt econuerſo, qui ſcilicet bene vidēt in nocte negotiorum temporalium, male vero in die, & in claritate negotiorum ſpiritualium. Vnde iſti dicunt illud Pſalm. Nox illuminatio mea in delitijs meis. Aliqui verò etiam, ſunt mediocres, quia videlicet mediocriter ſe habent ad vtrumq;. Quia nec ex toto volunt diem ſpiritualium, nec ex toto noctem temporalium, ſed cum vtroq; volunt participare, & de quolibet aliquid cogitare: ſicut faciunt multi, vt patet ad literam, qui more veſpertilionum modicum habent de ſpiritualium lumine, & tamen non ex toto ſunt in peccatorum, & terrenorum caligine. Vnde Ioan. 12. Adhuc modicum lumen in vobis eſt.

Marc. 13.

Ioa. 12.

Ad viſum formandum requiruntur multa, ſcilicet operatio virtutis interioris, diſpoſitio organi, ſeu oculi, illuminatio aeris, atque luminis, attentio animæ circa actum, & meditatio, rei viſæ præſentatio, & oppoſitio, ipſiuſque rei proportionata diſtantia, vel remotio, ipſius

etiam

etiam rei ſtabilitas, vel ſaltem mediocris motio, ipſius inſuper rei ſoliditas, & groſſa incorporatio, ipſius etiam rei quantitas, & debitę magnitudinis proportio, temporis mora, & alicuius ſpatij ordinatio. Et ſic à parte hominis videntis ſunt tria, ſcilicet, Virtus, Organum, & Attentio. A parte vero rei viſæ ſunt quinq;, ſcilicet rei præſentia, debita diſtantia, ſtabilitas, ſoliditas, & quantitas. A parte vero exteriorum ſunt tria, ſcilicet tempus, aer, & lux. Iſta igitur diſtinguamus.

Dicamus ergo, quòd ad hoc, quòd oculus bene videat, tria debent concurrere, ſcilicet quòd organum ſit bene diſpoſitum, q virtus non ſit impedita. & quod attentio adhibeatur, alibiq; non diuertatur. Quia ſcilicet dato, quòd obiectum ſit præſens homo tamen non videt illud niſi attendat, quia ſcilicet attentio, eſt id quod coniungit animum cum re viſa. Eſt etiam neceſſarius aer, qui deferat ſpeciem rei viſæ ad oculum. Lux illuſtrans, & aerem, & rem viſam. Et tempus ideſt mora infra quam anima iudicet de obiecto. Anima enim ſubito non iudicat dato, quòd res animę ſubito ſe opponat.

Sic verè ad debitum iudicium cognitionis, diſcretionis, & diſcuſsionis de aliqua re

fa-

faciendum necessariã sunt plura, videlicet virtus interior, idest naturalis sensus, & discretio. Item dispositio oculi, idest mentis disposita conditio: vt scilicet non sit ibi alicuius fauoris, vel odij excęcatio. Item attentio mentis, idest debita diligentię adhibitio, quia scilicet qui bene vult iudicare, vel inter res discernere, necesse est, quòd sit diligens & attentus. Vnde scriptum est 2. Paralip. 19. Videte ait, quid faciatis: non enim exercetis iudicium hominis, sed Domini: & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum: & cum diligentia cuncta facite, non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. Attende, & fac, inquit Daniel 9. *2. Paral. 19.*

Item est necessaria aeris exterioris, idest bonorum sociorum, & consiliariorum adiutorium, & delatio; Nullus enim est ita sapiens quin bene indigeat auxilio aliorum, iudicio suo sana consilia ministrante. Vnde Ecclesiastici 32 Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non penitebis. Item est necessaria temporis fluxio, & dilatio, idest mora, & deliberationis adiectio. Quia scilicet nullus potest bene iudicare, nec rei veritatem subito eligere, vel videre. Vnde Seneca in Prouerbijs. Diu deli- *Eccl. 32*

libe-

liberandum eſt, quod ſemel ſtatuendum
1. Cor. 16 eſt. Vnde, & Diuus Paul ad Corinth. 16. Nolo vos modo in tranſitu videre. Item neceſſaria eſt lucis Diuinæ præſentia, & interpoſitio, quia procul dubio viſus recti iudicij non perficitur, niſi oculus, ideſt perſona iudicans, & aer, ideſt conſiliarius deferens, luce Diuinæ gratiæ illuſtretur. Aliàs enim nec iſte bene iudicabit, nec ille bonũ conſilium miniſtrabit. Ioan. 11. Qui ambulauerit in die, non offendet, quia lucem mundi huius videt. Quod bene patet in peccatoribus iſta luce carentibus, qui de rebus diſcretè neſciunt iudicare.

Ad hoc, ꝙ de re viſa rectum iudicium habeatur neceſſe eſt, quòd res viſui præſentetur. Item, quòd res non ſit nimis oculo propinqua, nec ab ipſo nimium elongetur. Item neceſſe eſt, quòd illa res ſit firma, & ſolida, non aerea, ſeu peruia, immo viſus per ipſam tranſiens, ipſam non videre probatur, & dinoſcitur, propter raritatem. Item neceſſe eſt, quòd res ſit, vel ex toto ſtabilis, vel mediocriter mobilis. Quando enim aliquid velociter mouetur nunquam de eius forma propriè iudicatur, ſicut patet de ligno longo, vel gibboſo, quòd videtur rotundum ſi velociter moueatur.

Item neceſſe eſt, ꝙ res ſit alicuius quantitatis,

titatis, ita enim modica esse posset, quòd nullatenus visui subiaceret. Et sic dico, quòd sex sunt, quæ visum perturbant, & quæ visus distinctionem, & cognitionem tollunt: Videlicet Rei absentia, Rei nimis longinqua distantia, Rei nimis rara, & peruia transparentia, Rei etiam nimis parua existentia, Rei insuper nimis mobilis apparentia. Procul dubio istis sex modis videtur impediri visus recti iudicij, vel verè discretionis in oculo cordis nostri.

Et primò quidem propter absentiam, & ignorantiam. Ignorantia enim facit nobis res absentes, quia omnis res, quæ ignoratur, intellectui absens est. Res ergo absentes, & ignorantes videre non possumus, & ideo necesse est, quòd res præsentialiter scientialiter videamus, ad hoc, quòd de ipsis notitiam habeamus.

Item dico, quòd visus recti iudicij impeditur propter propinquitatem affectionis, & amicitiæ. Res enim immediatè superposita oculo non videtur, Quia pro certo quando aliquis oculo cordis nostri per nimium affectum superponitur, defectus eius, seu conditio non cognoscitur, nec videtur. immo quòd plus valet, quàm valeat, iudicatur.

Vnde Sen. in prouer. Amans quid cupiat

ſcit, quid ſapiat non videt.

Notandum. Item impeditur viſus iſte propter remotionem odij, inuidiæ, & diſplicentię pro certo quando aliqua perſona, ſeu etiam aliqua res eſt à corde noſtro, & ab affectu remota, & à nobis per extraneitatem, vel odium elongata, bonitatem ipſius non videmus, nec de ipſa debite iudicamus. Et inde fit, ꝙ extraneos & remotos cōtemnimus, & reſpectu familiarum ipſos modicum reputamus, ſicut faciunt illi, qui ſolos compatriotos promouent, alios autem non videntur reſpicere, vel videre. Pſal. oculos habent, & non videbunt. Igitur neceſſe eſt, ꝙ perſona nec per affectum ſit propinqua, nec per odium remota, ad hoc quod propriè cognoſcatur.

Item impeditur viſus recti iudicij propter prauitatem hypocriſis, & falſę apparentiæ. Aer enim non poteſt videri, quia non eſt ſolidus, ſed tranſparens; ſic verè proditor, falſus amicus vel hypocrita, quia nihil habet ſoliditatis, multum vero raritatis, fictionis, & vanitatis, nunquam propriè videtur, aut cognoſcitur, quia ſemper eſt aliud quàm creditur. *Iob. 24.* Iob. 24. Oculus adulteri obſeruat caliginem dicens, nō me videbit oculus, & operiet uultū ſuum. Res ergo debet eſſe ſolida, id eſt homo debet eſſe verus; fidelis, & firmus, ad hoc, ꝙ de eo poſſit ſenſus humanus iudicare.

Item

Item impeditur visus recti iudicij propter mobilitatem inconstantiæ, aliqui enim sunt ita in moribus mobiles, inconstantes, & instabiles, quod homo non potest ipsos cognoscere, vel iudicare. Iob. 23. Si me vertam ad dexteram non videbo illum. *Iob 23.*

Item impeditur iste visus propter modicitatem, & istud fit quando res est ita parua, idest ita modicè virtuosa, quod homo nescit de ea iudicare.

Istæ igitur sunt sex causæ quæ impediunt iudicium rationis.

Seneca dicit vbi tractat de iride, quòd nihil est fallacius acie nostra, & inde est, quòd super omnes sensus, faciliter decipitur sensus visus. Et sic aliquando videtur circulus in cādela, aliquando videtur vna res moueri, quę est stabilis, sicut existenti in naui videtur, quod littora moueantur, sicq; vna res vidētur duę.

Causæ istorum fallacium uisuum sunt in ipso oculo non in rebus, & ipse motus quem in littore esse credimus; in nobis est qui in nauicula fluctuamus. Generaliter autem ista accidunt propter aliqualem humoris grossi interpositionem, vel propter motum spirituum. & perturbationem.

Sic verè visus, & iudicio nostro, nihil est incertius, aut fallacius, decipitur enim, aut propter nimiam affectionem, & tunc videtur

nobis, quòd vna res sint duæ: quia scilicet bonum illorũ quos diligimus, duplex quàm sit putamus. Aut propter mentis turbationem, & corruptionem ignorantiæ, vel inuidiæ, aut odij turbationem, quia scilicet tunc nos esse stabiles respectu aliorum credimus, alios verò respectu nostri mobiles æstimamus, cum rè vera motus iste, & motum defectus sint in nobis, & non in illis, tamen nos ipsum esse credimus in alijs, non in nobis. Naturale enim est sicut dicitur, quòd in quo quis insanit, in eodem credat alios insanire. Homo enim secundum se alios iudicat.

Et secundum conditionem propriam, aliorum conditiones mensurat, iuxta consilium Pilati dicentis: Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate.

Quando spiritus visibilis, & imago rei visæ in cerebro mouetur, tunc visus decipitur, quia homini videtur, quòd omnia moueantur.

Et sic contingit illis, qui diu circumierunt, quia etiam postquam steterint, videntur eis, quòd circumeant vniuersa: Spiritus enim cerebri mouetur, & ideo motum illum, qui in se est, esse in alijs opinantur. Sic etiam contingit homini, qui transit flumen: quando aliquo fluctu aquæ superficies

fue-

fuerit mota, tunc enim videtur sibi, quòd ipsæ currat, vel quòd Equus suus labatur, aut fugiat, vel quòd ipse moueat, seu cadat, dato, quòd immobilis tunc persistat. Species enim rei visæ, scilicet aquæ, quæ est in motu, dum oculo præsentatur, Spiritum visibilem mouet, sicque talis species sic mobilis per ipsum ad sensum communem defertur, & sic sibi videtur, quòd motus qui est in aquæ superficie, in seipso efficiatur.

Ista possunt applicari ad duo genera peccatorum in quibus visus recti iudicij est corruptus. Sunt enim quidam qui secundum se iudicant alios: Et quidam qui secundum alios iudicant semetipsos. Quia scilicet illi, qui circumeunt per vitia, & peccata, propter motum, & turbationem suæ discretionis, & suæ æstimatiuę virtutis, (quę scilicet motibus malorum desideriorum turbatur) alios quanquam bonos, & stabiles, esse varios, & mobiles, & circumeuntes per vitia opinantur, sicut & ipsi. Psalm. In circuitu impij ambulant. *Psalm.*

Econtra autem quidam sunt, qui, quia vident totam superficiem aquæ, idest totam congeriem vitę humanę fluere per peccata, & malorum vitam currere finaliter ad tormenta, illi proculdubio illud idem existimant de seipsis, &

dum alios fluere considerant, seipsos posse stare desperant, & in damnationem æternã necessario se casuros cogitant, atq; putant.
Ezech. 31. Vnde Ezech. 13. Vident vana, & diuinant mendacium dicentes, ait Dominus &c.

Duo oculi sunt in capite locati, ad finem vt alter alterius beneficio iuuaretur, & vt si quid vnus pateretur, per alium defectus ipsius suppleretur. Habent etiam oculi duos neruos in quibus spiritus visibilis continetur, qui tamen in fronte media in modũ crucis transuersaliter vniuntur, vt sic vnus, spiritus ab altero confortetur, vt imago rei visę non duo, sed una à duobus oculis videatur. Ista dualitas significat combinationem charitatis. Teste enim D. Grego charitas minus
D. Gregor. quàm inter duos esse non potest. Est igitur necesse, vt oculi, id est viri spirituales, & discreti sint duo, id est per charitatem, & amicitiam combinati, & per dualem colligantiã aggregati, & hoc, vt inuicem adiuuentur.

Nerui enim suæ dilectionis, & spiritus suæ affectionis inuicem debent vniri Et quamuis duo sint id est plures, visus tamen suæ discretionis ad vnam debet imaginem reduci, id est ad vnam voluntatem simplicem termi-
Act. 4. nari. Sicut enim dicitur act. 4. Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.

De

De auditu. Cap. XXVI.

AVditus sensus in aurium organis suum sortitur effectum, pluraque concurrũt, & requiruntur ad hoc, quod debitè exerceat actum. Requiritur enim virtus interior bene disposita ad sonum iudicandum.

Requiritur auris exterior bene præparata ad sonum recipiendum.

Requiritur aer ad sonum deferendum.

Requiritur attentio ad sonum præsentandum iudicio animæ, & tempus etiam ad deliberandum.

Ista possunt dici de auditoribus, & iudicibus; quia s. quinq; requiruntur ad hoc quòd causas audiant debitè atq; iuste; s. requiritur virtus iustitiæ interioris auris flexibilis, & facilis audientiæ exterioris, aer consilij sanioris, attentio diligentiæ potioris, Tempus seu mora deliberationis prudentioris. Vnde dicitur in Euangelio Matth. 13. Qui habet aures audiendi audiat.

In aure est os petrosum, durum, tortuosum & siccum, cooperans ad auditum. Quia scilicet Aer ibi melius confringitur, & sonus fortior generatur. Sicut ponit constantinus Philosophus, quod campanæ melius sonant flante borea, quam flante austro propter ae-

ris ſiccitatem. Sic verè ad hoc, quòd audiamus ſonum verborum, & mandatorum Dei, & etiam ſonum, & voces pauperum egenorum, multùm cooperatur, quòd in aure cordis os petreum, ideſt duritiam iuſtitię Diuinę habeamus. Eccleſiaſt. 28. *Eccleſ. 28.* Sepi aures tuas ſpinis. Quia pro certo iſte ſonus melius nobis ſonat ſi Boreas Diuini timoris nos induret, quam ſi auſter mundanę proſperitatis nos emolliat.

Dico etiam, quòd ſonus precum noſtrarum melius ſonat in auribus Dei, quando Borea, & frigore tribulationum percutimur, quàm quando Auſtro mundanę proſperitatis mollimur. Pſalm. Cum inuocarem exaudiuit me Deus. Et alibi in Pſalmo 17. *Pſalm.* In tribulatione mea inuocaui Dominum: Et ad Deum meum clamaui. Et exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam.

Sonus venit ad auditum per multas reuolutiones. Quia primo fit in loco vbi percutitur, & poſt ad alium locum refringitur. Et ſic poſtquam in aere multas reuolutiones fecerit, vltimo ad auditum peruenit, & attingit. Et inde eſt, quòd quando ſuper lignum percutimus, ictum non ſtatim audimus, licet ipſum ſubito videamus. Tardius enim agit auditus, quàm viſus, & ideo vi-

demus

demus celerius, quàm audimus.

Magis mouent exempla, quàm verba, Quia scilicet magis mouent iudicium rationis illa, quæ exemplariter videmus, quàm illa, quæ verbaliter audimus.

Vnde Seneca in Epistola 6. Homines amplius oculis, quàm auribus credunt, longum enim iter est per præcepta, breue, & efficax per exempla. *Sene. Epi.ſo. 6.*

Illa enim, quæ audiuntur, non semper sunt vera: Quia scilicet de vno ad alium perueniunt, & per multas reuolutiones transeunt, Et ideo minoris fidei, & credulitatis existunt.

Vnde Cato: Rara fides ideo est, quia multi multa loquuntur. Secus autem, de aspectu, & visu, qui immediatè venit ad oculum. Et ideo, breuiter melius est, quòd exemplis prædicemus, & quòd in nobismetipsis virtutes oculis aliorum ostendamus, quàm, quòd verba eorum auribus exponamus. *Cato.*

Matth. 5. Videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. Dico ista etiam de iudicibus, quòd tardè debent credere audita, sed faciliter visa, & bene probata. *Mat. 5*

Etiam dico, quòd quando aliqua mala dicuntur de nobis, vel de familia nostra, ista

vltimo

vltimo ad nostrum perueniunt auditum. Totus enim aer, & tota vicinia, vel tota patria plena est fumo infamię, antequam veniat ad auditum notitię nostræ. Vnde seneca dicit. Vltimi mala Domus nostrę cognoscimus.

Auditus quãdoq; patitur ex uitio cerebri.

Quandoque ex vitio aurium.

Quandoque ex corrosione vermium.

Et quandoque ex horrore sonorum, sicut dicitur, quòd in Egypto superiori in loco vbi nilus oritur, ex maximo fragore, homines surdi fiebant, quapropter secundum solinũ à regione illa penitus, recesserunt, ista ergo omnia sensum auditus, vel inficiunt vel molestant.

Sic auditus noster turbatur, quandoq; à vermibus, idest à detractoribus, & corrosoribus iniuriatoribus: quandoque à fragore alicuius horribilis infamiæ aliorum.

Re vera talibus modis lęditur, & impeditur auditus in malis iudicibus, & auditoribus, ipsum enim impedit ventositas alienæ elationis, quæ scilicet generat sonitum timoris, & dubitationis, Vnde dicitur. Iob. 15.

Iob 13. Sonitus terroris semper in auribus illius: & cũ pax sit, ille semper insidias suspicatur.

Item impedit eos humor affectionis carnalis.

Item impedit eos apostema superbæ, & tumi-

tumidæ indignationis.

Item impedit eos corrugatio peruerſę intentionis, & inęqualitas perſonarum acceptionis.

Item impedit eos punctura iracundiæ, vindictæ, & turbationis.

Item impedit eos ſonitus præcum, & importunæ ſupplicationis, ictus munerum, & ſimoniacæ corruptionis. Iſtis enim omnibus auditus veri iudicij corrumpitur, vel ex toto, vel ad tempus tollitur, vel differtur, ita quod iam de multis poteſt dici illud. Hieremiæ 6. Ecce, Incircunciſę aures eorum, & audire non poſſunt. Aures hominis poſitę ſunt in medio capitis, vt audiant vndique, quæ dicuntur, & vt ex omni parte ſonorum differentiam compręhendant. *Hiere. 6*

Talis debet eſſe iudex, qui aliorum facta habet diſcernere, & audire. Iſte enim non debet eſſe perſona abſcondita cuius difficilis ſit acceſſus: immo iſte debet eſſe in medio expoſitus, videlicet vniuerſis. Vel etiã in medio æquitatis ſcilicet, vt poſſit omnia melius comprehendere, & audire, & omnibus æqualiter auditionis debitum exhibere. Pſalm. Auribus percipite, qui iudicatis orbem.

Omnes debemus audire tria.

Primo. Diuinam legem quemadmodum

docet

docet nos Dauid in Psal. 77. Attendite popule meus legem meam, &c. Et in Prouerbijs dicitur: Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.

Secundo, iussionem superiorum: Vnde D. Paulus dicebat: Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.

Tertio. Clamorem pauperum. Vnde Tobias 4. instruens filium suum dicebat, ne auertas oculos tuos ab vllo paupere. Et in Prouerbijs dicitur 20. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperum, & ipse clamabit, & non exaudietur.

Prouerbio. 20.

De gustu. Cap. XXV.

GVstus est sensus, cuius lingua est proprium instrumentum. Nerui enim in lingua, & in eius porosa substantia existentes, mediante humore saliuali cibi saporem accipiunt, & ad animæ iudicium referunt. Sicut est de alijs dictum. Est autem hic sensus summè vtilis ad conseruationem indiuidui. Isto enim mediante corpus nutritur. Sic isto vero, vel corrupto, vel ablato vis enutritiua deficit, & tota natura corporis dissipatur.

Per istum sensum possum intelligere virtutem compassionis, quę proculdubio discernit inter dulcedinem prosperitatis, & amaritudinem aduersitatis aliorum, vt scilicet ipsis congaudeat in prosperis, & condoleat in aduersis. Mediante enim neruo colligatiuo charitatiuæ dilectionis, & mediante saliua gratiæ, & deuotionis. Gustus pietatis, & compassionis perficitur. Per quem anima nutritur & virtutibus augetur, & sine qua non crescit in virtutibus, nec cõpletur, nec in esse gratiæ conseruatur. bene ergo dicit Apostolus cum dicit, 1. ad Thim. quarto. *1. ad Timot. 4.*

Pietas ast omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ, nunc est & futuræ. Gustus (dico spiritualiter) est deuotio, & contemplatio, per quas dulcedo diuina, & sapor, & suauitas æternæ gloriæ gustatur, & bibitur. Et amaritudo vitiorum, & terrenorum contemnitur, & horretur.

Vnde psalm. Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.

Gustus quandoque in corpore corrumpitur, vel aufertur in tantum, quòd dulcia amara, & insipida sentiuntur. Quod quandoque fit ex organi gustus infectione, & ex alicuius corrupti humoris adiunctione. Sicut fit in febricitãtib. Quandoq; fit ex sanguinis *Nota.*

mian-

menstrualis fumosa spiratione, vt patet innouiter concipientibus in quibus appetitus mutatur, & gustus inficitur, ita ꝙ carbones eis sapiunt, & boni cibi desipiunt.

Quandoq. ex alicuius dulcis degustatione vt patet in illis qui fructus dulces comedēt, quibus nō sapit postmodum vinum bonum.

Sic vere gustus, & complacentia bonorū spiritualium inficitur, & corrumpitur multis modis. Videlicet ex febri, & calore cupiditatis, & auaritiæ. Iuxta illud Diui Augustini super Euangelium S. Lucę. vnde dicit. Febris enim nostra, auaritia est: febris nostra, libido est. febris nostra, luxuria est febris nostra, ambitio est. febris nostra Iracūdiam est. &c.

Luc. 15

Item corrumpitur ex potu, & ex amore dulcedinis prosperitatis, & terrenæ affluentiæ. Ista omnia gustum deuotionis nostræ inficiunt, & saporem inuenire in rebus spiritualibus non permittunt. Quapropter etiam tales qui in gustu verbi Dei, pęnitentiæ, & Eucharistiæ, & aliorum bonorum spiritualium non delectantur: nunquam gustu æternę glorię finaliter recreantur. Lucę. 15. Dico autem vobis, quia nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cęnam meam.

Notandum. Lingua secundum Isidorum dicitur à lingendo, vel à legendo. Est enim instrumētum gustus, & locutionis; & ideo cibos habet lingere,

gere,& verba legere. Eſt autem lingua naturaliter mobilis, carnoſa, poroſa, neruoſa, oblonga, plana, rubicunda, ſubtilis tenuis, mobilis,& acuta, loco tamen concauo, & humido ſita, & ſicut in carcere poſita, labijs, & dentibus circuſepta, vocum eſt informatiua, ſaporum diſcretiua, animæ interpretatiua, & per humorem ſaliuę totius corporis humectatiua. Lingua Chriſti in ſuo corpore myſtico Eccleſiæ eſt prędicator. Vel eſt quęlibet bona perſona locutioni diuinę laudis principaliter deputata, ſicut prçcipuè ſunt clerici,& Religioſi.

Pſal. Lingua mea calamus ſcribę. *Pſalm.*

Talis lingua igitur debet lingere,& legere; Quia ſ. ipſa debet eſſe inſtrumentum guſtus, & lecturę deuotionis;& vocis lecturæ orationis, prædicationis, confesſionis, & gratiarum actionis. Debet enim inter cibos bonorum temporalium, & corporalium, & ſpiritualium diſcernere, & loquelam ſpiritualem, & ſalutarem Deo, & hominibus promere, voluntatem ipſius animæ, ideſt ipſius Dei interpretari, & dicere, & vocem ſuam articulatim, & ordinatè proponere. Vnde Prouerb. 15 Lingua Sapientum ornat ſcientiam. & os fatuorum ebullit ſtultitiam. *Prouerbior. 15* Saliua bonæ doctrinæ, vel Diuinæ gratiæ, Eccleſiam, vel animam humectat. & ſic de

tali

Esa. 50 tali lingua dicat Ecclesia illud Esa. 50. Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciã sustentare eum qui lassus, verbo, &c.

Igitur dico, quòd talis debet esse mollis, & carnosus per benignitatem: porosus, & penetrabilis per pietatem; neruosus, & sensibilis per sagacitatem; oblongus aliquantulum per deliberatiuam maturitatem; planus, & simplex per omnimodam veritatẽ; rubicundus, & sanguineus per verecundam honestatem; tenuis, & subtilis per spiritualem paupertatem; mobilis, & vertibilis per diligentem sedulitatem; acutus etiam, & more gladij formatus per locutionis seueritatem; in loco humido situs per deuotionis, & gratiæ suauitatem; detentus & circumseptus, ligatus, & incarceratus per Dei mandatorum circularitatem. Quia pro certo cum homo multas habeat gratias, & virtutes, necesse est, vt in carcere diuini timoris, minis disciplinæ, & mandatorum Dei, & superiorum ligetur, ne per inanem gloriam dilatetur, & ne exterius ad mundi delectabilia plus debito prolabatur. Vnde psalm. Dixi custodiam vias meas, vt nõ delinquam in lingua mea.

In principio linguæ sunt duæ uenæ, quæ saliuales dicuntur, à quibus saliua egreditur, à qua, & lingua, & hos humectatur, & ciborum

sicci-

ſiccitas temperatur. Eſt autem ſaliua humor inſipidus, inter guſtum, & ſuum obiectum medius: Quia ſcilicet nullus, rei ſapor ſentitur, niſi quando per ſaliuam guſtui præſentatur, vt dicit Conſtantinus Philoſophus: Saliua ſignificat gratiam Dei. Illa enim in homine naſcitur à duabus venis, & duobus principijs præcipuis, quæ ſunt declinare à malo, & facere bonum. Talibus enim venis ſaliua gratię in nobis oritur, à qua os cordis ſpiritualiter humectatur, & qua mediante guſtus deuotionis in ſaporibus ciborum ſpiritualium delectatur. Conſtat enim, quòd niſi mediante gratia Diuina, cibus doctrinæ, vel Euchariſtiæ guſtui affectionis per deuotionem non ſapit, nec in ventrem conſcientiæ faciliter labitur, aut deſcendit. Iſta autem mediante, cibus doctrinæ ab auditoribus tranſglutitur, & ſapor in documentis ſpiritualibus inuenitur. Ideo in perſona peccatoris dicebat Iob 7. Víquequo nō parcis mihi, nec dimittis me, vt glutiam ſaliuam meam. Et ſicut dicitur ſaliua hominis mors eſt ſerpentis ſecundum D. Ambroſium, & Baſilium in Hexamero. Sic Diuina gratia mors eſt ſpiritualis hoſtis. *Iob 7.*

De odoratu. Cap. XXVIII.

ODoratus eſt ſenſus, quo inter odores diſcernimus, & quo in bonis odoribus delectamur, malos, verò refugimus, & horremus. Odor enim rei à re, per aera euaporat. Aer verò tali odore imbutus *ipſum* ad naſum portat, & ipſum in cauernulis narium, animæ iudicio repræſentat, qui ſi bonus eſt delectat animam. Si verò malus officit ipſam, & moleſtat. Talis eſt virtus diſcretionis, iſta enim diiudicat de fœtore, vel odore, ideſt de infamia, & bona fama aliorum.

A ſubſtantia enim cuiuslibet, ideſt à vita, & moribus reſoluitur odor famæ, qui tandem in Aere, ideſt in vicina propinqua miſcetur, & tandem ad nares diſcretionis noſtræ, ſeu ad olfactum noſtrum peruenit, & defertur. Iſto ergo ſi bonus fuerit, delectamur. & exemplo ad benefaciendum inducimur, & confortamur. Si verò malus fuerit, conturbamur, & aliquando ex tali exemplo inficimur, & grauamur. Quia pro-
Geneſ. culdubio bona fama, poteſt eſſe cauſa boni,
27. mala autem mali. Gen. 27. Statimque, vt ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam benedicens illi, ait; ecce odor filij mei, ſicut

odor

odor agri pleni. cui benedixit Dominus &c.

Sensus autem olfactus summè viget in quadrupedibus, solo enim odore discernunt inter herbas salutiferas, & nociuas. Potissimè autem viget in Simia, quæ ante omnia cibum odore tentat. In Cane, qui odore prædam inuenit. In Vulture, qui cadauera etiam vltra mare olfacit, & sentit; secundum Isidorum, in libro 12. cap. 8. Homo inter animalia valdè malè odoratur, quapropter forte fit propter cerebri humiditatem, secundum Aristotelem. Sic verò odoratus discretionis, & deuotionis spiritualis, qua scilicet inter bonum, & malum discernitur, & qua bonum eligitur & malum dimittitur; magis viget in bestijs hodie, quam in hominibus, idest magis viget in laicis & simplicibus Ecclesiasticis, quàm in sapientibus. Quia scilicet isti odore deuotionis, suauitatem cibi Eucharistiæ prosequuntur. Prædam æternæ gloriæ inuestigant, atque sequuntur. Et cadauer mortis Christi persentiunt, & meditantur: dicentes Christo; Illud Canticæ 1. Curremus, in odorem vnguentorum tuorum. Qui amat ardentius currit velocius, & peruenit citius, Ait D. Bernardus; Nares secundum Isidorum dicuntur quasi Gnare, quia scilicet ad discernendum inter odores videntur naturaliter

Isid. li. 12. c. 8.

Cant. 1

Bernardus.

esse doctæ. Et ideo, vt ait, illi ignari dicuntur, qui quasi sine nare discretione debita non vtuntur. Sunt igitur nares, seu nasus illa membra per quæ inter odores discernimus, quæ etiam spiritum, & anhelitum attrahimus, & retrahimus, per quæ superflua oris cerebri vacuamus. Habet enim nasus interius duo foramina, videlicet vnum quod tendit ad concauitatem palati, quo superfluitas oris purgatur. Et alterum quod tendit sursum ad cerebrum, vt illuc aer deferatur, & vt inde spiritus animalis ad sensum odoratus perficiendum inferius à cerebro attrahatur, sicut dicit Constantinus in Phantechni.

Per nasum, qui discernit inter fœtorem, & odorem, intelligo virtutem prudentiæ, & discretionis, qua scilicet bona, à malis discernuntur, & distinguuntur, & qua etiam mentes nostræ gnare, id est sapientes efficiuntur: & qua etiam carentes, ignari, & sine spiritualibus naribus meritò nuncupantur. Sapientiæ 15. Neque nares ad percipiendum spiritum, neque aures ad audiendum.

Iste igitur nasus discretionis duo habere debet interius foramina, id est duplicem considerationem: scilicet considerationem propriæ fragilitatis, quæ vadit ad palatum id est ad corpus: Et considerationem spiritualem ani-

animæ nobilitatis, quæ tendit ad cerebrum, ideſt ad animum.

Iſto enim duplici foramine mediante, debemus fœces, & ſuperfluitates vitiorum expellere, & tam cerebrum, quàm palatum, id eſt tam anima, quàm corpus per confeſsionem purgare, & aerem gratiæ ipſi animæ procurare.

Et ſic ſenſum olfactus diſcretionis, & deuotionis perficere, & iuuare. Vt ſic dicat quilibet talis illud Iob 27. Spiritus Dei in naribus meis.

Naſus ſecundum Conſtantinum neceſſarius fuit ad multa. Eſt enim aeris attractiuus, & emiſsiuus, inter odores diſcretiuus, groſſarum ſuperfluitatum cerebri purgatiuus, per attrationem aeris pulmonis dilatatiuus, & conſtrictiuus, aeris frigidi ne lædat pulmonem deputatiuus, & totius faciei adornatiuus.

Naſus enim eſt faciei præcipuum membrum, quia naſo abſciſſo tota dehoneſtatur, & decore, & pulchritudine ſpoliatur.

Naſus eſt animæ deuotio, quæ ſcilicet ſuauitatem æternam odorat, & diligit, fœtorem verò rerum carnalium abhorret, & negligit, & inter ipſa debite iudicat, & diſcernit.

Ista est igitur illa, quæ spiritum orationis solet emittere, & spiritum gratiæ solet attrahere.

Psalm. Os meum aperui, & attraxi spiritum. Ista est, quæ superfluitates peccati solet emungere, & pulmonem interioris voluntatis solet per charitatem dilatare, & per timorem contrahere, aerem frigidum tepidæ affectionis ne pulmonem conscientiæ lædat, solet puriorem reddere; & sic totam faciem animæ solet decoratam facere, & ornamentum honestatis in tota superficie generare.

Nasus Ecclesiæ est Prælatus, qui in medio situs cum duabus caruunculis, seu cauernulis, idest duplicis discretionis, temporalis, scilicet, & spiritualis, habet inter fragrantes, & fetentes, idest inter bonos, & malos discernere, Spiritum sanctum attrahere, & alijs emittere, totum corpus purgare, & corrigere, & totam faciem Ecclesię adornare.

De tactu. *Cap. XXIX.*

TActus secundum Auicenam est vis ordinata in neruis totius corporis ad comprehendendum quod tangit. Est etiam tactus sensus, quo nos cognoscimus calidū à fri-

à frigido, humidum à ſicco, lene ab aſpero, molle à duro, leue à ponderoſo. Et habet iſte ſenſus illud proprium; Quia cum alij ſenſus propria inſtrumenta, & organa habeant, iſte tamen ad membra omnia ſe diffundit, & in toto corpore diffuſus exiſtit, qui nimo etiam omnes alios ſenſus concomitatur, & eis etiam cooperatur. Et licet iſte ſenſus videatur groſsior alijs, eſt tamen pro maiori parte ipſis vtilior, Quia ſcilicet tactus poteſt eſſe ſine alijs ſenſibus, alij autem nequeunt ſine ipſo. Nullus enim ſenſus propriè de ſuo obiecto iudicaret, niſi rem ſenſibilem tangeret, & ſentiret.

Per iſtum ſenſum tactus poſſum intelligere illam diſcretionem quam habemus de rebus, quæ mentem noſtram comprimunt, atque tangunt. Et ſic dico, quòd iſte ſenſus eſt paſsiuus, quo percipiuntur violentiæ tactuum actiuorum. Quia igitur tria ſunt, quæ nos tangunt, ſcilicet, miſeria proximorum, afflictio tormentorum, & horror, & deteſtatio vitiorum; Ideo poſſumus dicere, ꝙ per ſenſum, & conſiderationem talium tactuum, poſſunt intelligi tres virtutes: Scilicet tactus compaſsionis, quantum ad primum. Tactus patientiæ, & tollerationis, quantum ad ſecundum. Tactus doloris, & compunctionis, quo ad tertium. Compaſ-

ſio enim ſentit proximorum miſerias. Patientia, & Tolleratio ſentiunt turbatorum moleſtias. Compunctio ſentit vitiorum nequitias. Per tales enim ſenſus, & tactus, ſentimus, & cognoſcimus quid eſt frigiditas. & ſiccitas paupertatis, & aſperitatis, & duritiæ aduerſitatis; & quid eſt ponderoſitas, & grauitas iniquitatis. Et econuerſo per ipſos ſenſus poſſumus ſentire quid eſt calor dilectionis, & humor, & lenitas benignę conſolationis, Mollitię, & leuitas proſperitatis. & mundanæ ſubuentionis. Ideo de iſto triplici tactu poteſt intelligi illud: pſal.ſ.quòd Deus reſpicit terram, & facit eã tremere, tangit montes, & fumigant.

Nota. Dico ergo, quòd licet alij ſenſus ſpirituales propria organa, ideſt proprios ſtatus, & perſonas ſibi vendicent. Quia ſcilicet viſus diſcretionis eſt in hominibus bonis diſcretis, & in Clericis. Auditus iuſtitiæ in Principibus, & in Prælatis. Odoratus contemplationis in Religioſis. Guſtus clementię in laicis. Tactus tamen iſte, ſcilicet compaſſio, compunctio, & tolleratio aduerſitatum debet eſſe communis vniuerſis Vnde Iob 20. *Iob 20.* Manus Domini tetigit me. Et ideo talis tactus paſsiuus, ideſt talis perceptio talium exteriorum, & interiorum dolorum; licet ſit alijs virtutibus minus nobilis, eſt tamen ad

ſalu-

salutem magis vtilis.

Quos enim Dominus compunctione, vel compaſsione, vel correctione tetigerit, ipsos pro certo saluos faciet, & curabit. Sicut habemus per decursum Euangelij vbi Christus per tactum Mutum sanauit. Matt. 9. Et alibi surdum, & mutum liberauit. tetigit linguam eius. Marc. 7. Leprosum mundauit tetigit eum dicens; Volo mundare. Lucę 5. Mortuum suscitauit, tetigit. Loculum, dicens, Adolescens tibi dico surge, & resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Hydropicum sanauit. Ipse vero appręhensum sanauit eum; ac dimisit, Luc. 14. Puerum Centurionis sanauit, dicens; Vade, & sicut credidisti fiat tibi. & sanatus est puer ex illa hora, Matthę. 8. Et venit in ciuitatem suam. Et ecce offerebant ei Paralyticum iacentem in lecto, & videns Iesus fidem illorum. dixit Paralytico; Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, &c. Deinde dixit iterum Paralytico; Surge tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et surrexit, & abijt in domum suam. Quia pro certo, qui à Deo compaſsione miserorum, & compunctione peccatorum, & afflictione tormentorum bene tangitur, rectè per confeſsionem loquitur, à lepra peccati curatur, & sanatur, & à morte perpetua liberatur. *Mat. 9.*

Sen-

Sensus tactus multis modis lęditur; & quandoque ex toto amittitur, vt in paralyticis. Quandoque interciditur, vt quando contingit propter opilationem neruorum spiritum libere non transire, & sic membra contingit obdormire, & tactum amittere, vt patet in apoplexia vbi patiens combustionem ignis non sentit.

Quandoque ab exteriori lęditur, vt quando digitus frigiditate aeris taliter constringitur, quòd tactum, vel puncturam sentire non videtur.

Prouerbio.20.

Quandoque etiam propter incisionem, vel corruptionem partium impeditur; quia scilicet membrum corruptum, vel pręcisum nihil sentire comprobatur quando tangitur. Sic vero sensum compassionis, correctionis, & contritionis perdit peccator multis modis. Scilicet quando propter paralysim auaritię, quę scilicet contrahit manus ne dęt eleemosynas.

Quandoque propter apoplexiam superbiæ, quę scilicet est morbum capitis, & facit cadere.

Quandoque propter congelationem indeuotionis & pigritię, quę scilicet constringit digitos ne faciant bonum.

Quandoq; etiam propter corruptionem lasciuię luxurię, & immunditię.

Quan-

Quandoque propter peccatum desperationis, & obstinatę malitię.

Tales enim, scilicet auari, superbi, indeuoti, pigri, lasciui, luxuriosi immundi, desperati, obstinati, & malitiosi sensum compassionis, vel contritionis, & correctionis non habent. Et ideo tactum Diuinæ inspirationis, vel alienę afflictionis, uel etiam superioris monitionis, & redargutionis prędicatoris, necnon futuri ignis Inferni, & damnationis non sentiunt, non considerant, & non vident. Vnde de istis possunt illud dici Prouerb 13. Verberauerunt me, sed non dolui, traxerunt me, & ego non sensi. *Prouer. 10.13.*

Per tactum potest intelligi quęcunque coniunctio, uel etiam operatio. Res enim quę tangit aliam, iungitur cum eadem, etiã cum aliquid facimus.

Manus sicut cętera membra, sunt duplices, seu binę: Dextera videlicet, & sinistra Manus secundum Isidorum dicitur quasi munus Quia scilicet maximum munus est corpori ipsa manus. Est dextera, quę dicitur à dando, & sinistra, quę dicitur à sinendo. Dextera enim dat signum pacis socio; sinistra vero cum parum faciat, tamen res fieri permittit, & sinit. Et sic dextera à dando, sinistra à sinendo, secundum Isidorum nomen sumunt.

Palma

Palma etiam dicitur manus extensa, pugnus verò dicitur manus clausa. Et dicitur pugnus à pugillo, & palma à ramis palmæ, qui semper sunt extensi. Cum igitur manus dicatur corporis munus, videtur, quòd per manum potest munificentie designari. Ista enim quandoque est dextera pacem alijs faciendo, quandoque sinistra bonum fieri sinendo, & non impediendo, quandoque pugnus se claudendo, & retrahendo, quandoq; palma se extendendo, & per eleemosynam, & beneficium pauperibus, & alijs dilatando. Prouerbiorum 21. Facere misericordiā, & iudicium magis placet Domino, quàm victimæ. Et alibi. 31. Prouerb. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperā. Manus secundum Constantinū, Est magnum corporis iuuamentum, & etiam ornamentum, & principale motus, vel operis instrumentum. Et constat manus ex pluribus ossibus & digitis in figura dissimilibus, & diuersis, solidis tamen, & inuicem concathenatis, & connexis. Manus animæ sunt opera, Quia scilicet per manum qua omnia facimus generaliter operatio designatur. psal Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua: Manus igitur, i. operationes nostræ, debent esse pluribus ossibus, i. ex pluribus virtutibus constare, quæ scilicet firmæ, & solidæ debent

Prouerbio. 21.

esse,

esse, & inuicem in compositione manus, idest operis manualis conuenientes, & connexæ. Et sic talis manus, nõ solum erit necessarium instrumentum, imo etiam opportunum, & congruum ornamentum. psal. Manus enim mea auxiliabitur ei & brachium meum confirmabit eum. Digiti secundum Isidorum dicuntur à decem, vel à decentia eo, ꝙ decẽ sunt numero, & eo, ꝙ corpori decentiam pręstant. Sunt igitur quinque digiti in vnaquaque manu quorum quilibet tribus ossibus est distinctus. Primusque pollex dicitur, eo ꝙ præ cæteris polleat virtute. Secundus index vocatur, eo ꝙ cum eo quicquid ostendimus indicatur. Tertius vocatur medius, eo ꝙ in medio situatur. Quartus anularis dicitur, eo ꝙ in ipso annulus defertur. Quintus vero auricularis dicitur, eo ꝙ ipso auris scalpatur interius, & tangatur. Sunt autem digiti mobiles, & flexibiles, vt sic sint apti ad accipiendum, vel retinendum. Sunt etiam graciles, & distincti, & vnguibus in suis extremitatibus armati, & quanto magis stricti, & graciles, tanto sunt ad varia opera magis apti. Per digitos in manu, intelligo fideles in Ecclesia, vel in Religione collocatos, Quia illorum animæ in manu Dei sunt. Illi igitur sunt in vniuerso decem, eo quòd decem mandatorum sunt operatores, & custodes.

In

In speciali isti sunt quinque, eo quòd quinque sensuum sunt debiti custodes, & cohabitatores. Quilibet constat ex tribus ossibus, eo quòd omnes sunt trinitatis fidei cultores, & trium votorum professores. Vel trium virtutum theologicarum humiles possessores, vt sic de mandatis, & virtutibus, quæ ab istis digitis sunt habenda possit Ecclesia dicere illud Canticæ 5. Manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima. Isti igitur debent esse recti, & graciles per iustitiam, & per humilitatem; Et flexibiles, & mobiles ad se extendendum per largitatem, & ad se claudendum per prudentiam, & sagacitatem,

Esa.58 quamuis de multis dicatur illud Esaiæ 58. Desierunt digitum extendere.

Armati etiam debent esse vnguibus, per debitam duritiam, & seueritatem iustitiæ, vt sic Ecclesia dicat de talibus, illud Psalm. Benedictus Dominus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Adhuc etiam dico, quòd in istis debet esse pollex, idest aliqui, qui virtutibus polleant. Index, idest aliqui, qui prædicando, bona, & mala alijs indicent, vt bona exhibeant. Medius, idest aliqui, qui pro concordia, & pace inter discordes faciendo mediatores se præbeant. Annularis, idest aliqui, qui anu-

lo fidei subiacent, & resplendeant. Auricularis, idest aliqui, qui aures aliorum scalpent & subintrent, atque doceant.

Digitus Dei est filius Patris, qui ex tribus ossibus, idest tribus naturis constat, scilicet, ex Diuinitate, Anima, & Corpore: Et iste pro certo dicitur Pollex, Index, Medius, Annularis, Auricularis. Et etiam gracilis rectus &c. vt dictum est.

Vngula, siue vnguis est extrema pars digiti, secundum Constantinum, quæ ex cordis furmositatibus ad extremitates digitorum ascendentibus generatur, & ideo in vnguibus ipsius cordis dispositio multotiens declaratur. Sunt autem vngues necessariæ ad digitorum munimentum, & ad manum ornamentum. Et habent vngues carneam luciditatem, politam planiciem, & specularem claritatem.

Per vngues intelliguntur opera, quæ scilicet à cordis fumositatibus & affectionibus generantur, & ipsas manus, & digitos destinantur, quapropter ipsæ cordis voluntatis dispositiones, in ipsis vnguibus, & operibus demonstratur. Igitur in istis vnguibus debet apparere luciditas bonorum exemplorum, vt sic sint ornamento morum, & conuenientium, scilicet cordium & animorum. Et sic de viro isto, qui talibus vngulis adornatur,

natur, poterit dici illud pſalmiſtæ. Quod placebit ſuper vitulum nouellum cornua producentem, & vngulas. Et hæc ſufficiant de ſenſibus.

Finis Primæ Partis.





SECVNDA PARS OPVSCVLI. (Attende tibi) DONI LAVRENTII PATAVINI

honorificè agit de Vocatione Gentium ad Religionem Christianam;

Et docet quid facere debeant Christiani, vt rectè, iustè, & piè viuant.

De vocatione Christiana. Cap. I.



OTA, quòd vocare sumitur quandoque pronominare. Sicut Luc. 1. Vocabant eum nomine patris sui Zachariã. Aliquando verò vt communiter sumitur pro appellare, Sicut Num. 23. Vocaui te, vt malediceres, & tu benedicis. Igitur dicamus aliquid de appellatione vocatiua. Et sic notandum generaliter, quòd est vocatio Diuina. Vocare enim nihil aliud est, quàm ad se aliquem appellare, & attentum facere, vel ad aliquid audiendum, vel ad aliquid faciendum Et ideo Deus hominem vocare dicitur, quando vno

modo, vel alio ipsum conuertere nititur. Mat.4. Vnde Matt.4. Cum autem audisset Iesus, ꝙ Ioannes traditus esset secesſit in Galileam. Et relicta Ciuitate Nazareth: venit, & habitauit in Ciuitate Capharnaum maritima: in finibus zabulon, & Nephtalin: vt adimpleretur quod dictum est per Esaiam proph.

Terra Zabulon, & terra Nephtalim: via maris Transiordanem Galileæ gentium: Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam: Et sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Exinde cœpit Iesus prædicare, & dicere pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum Cœlorum. Ambulans autem iuxta mare Galileæ vidit duos fratres Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius mittentes rette in mare, (erant enim piscatores) & ait illis: Venite post me & faciam vos fieri piscatores hominum: at illi continuo relictis retibus, secuti sunt eum. Et procedens inde vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedei, & Ioannem fratrem eius in Naui cum Zebedeo patre eorum reficientes retia sua, & vocauit eos: illi autem statim relictis retibus, & patre secuti sunt eum. Diuus Chrysostomus, & s. Thomas super Matthęum dicunt: Tria enim sunt quę relinquere debet qui venit ad Christum. scilicet Actus carnales, qui per re-

tia

tia piſcationis ſignantur. Subſtantiam mundialem, quæ per nauem ſignantur. Et parentes, qui ſignantur per patrem. Illi ergo reliquerunt Nauem, vt fierent Eccleſiæ nauis gubernatores Reliquerunt retia vt non piſces afferrent ad ciuitatem terrenam: Sed homines ad ciuitatem Cœleſtem. Reliquerunt patrem vnum, vt ſpirituales patres omnium fierent. Eis igitur (ait ſanctus Hilarius) artē, & patriam domum relinquentibus, docemur Chriſtum ſecuturi: & ſeculari vitæ ſolicitudinem & paternæ domus conſuetudinem nō tenere. Propterea dixit Ieſus: Vni, Marc. 10. *Marc. 10.* Vade. quæcunque habes vende & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo: & veni ſequere me. Et alibi, Mat. 10. Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus. Et qui amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. Et qui non accipit crucem ſuam, & ſequatur me non eſt me dignus. Et alibi dixit Luc. 18. Amen dico vobis nemo eſt qui reliquit domum, aut parētes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter regnū Dei, & non recipiat multa plura in hoc tempore, & in ſeculo venturo vitam æternam Et alibi dixit Ieſus diſcipulis ſuis Mat. 28. Data *Mat. 28* eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra: euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos. In no. Patris, & Filij & Spiritus Am.

Docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis, & ecce vobiscum sum vsque ad consumationem seculi. Et alibi secundum Marcum dixit: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ; qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit condemnabitur. Marc. 16.

DE PECCATIS. Et primò:

De Superbia. Cap. II.

SVperbia habet septem species peccatorum, quæ sunt ab ea dependentes scilicet:

Arrogantia, quæ fit quando bonum quod non habet superbus, se credit, vel dicit habere.

Inanis gloria, quando de bonis suis laudem humanam quærit.

Iactantia, quando seipsum ostentat, & laudat.

Singularitas, quando aliquod bonum solus se credit habere.

Præsumptio, quando bonum quod habet suis attribuit meritis.

Proteruia, quando alijs subijci dedignatur.

Ambi-

Ambitio, quando alijs vult præferri; Ista ergo bestia cum suis septem capitibus, summè debet vitari, & à cunctis hominibus declinari.

De alijs peccatis omitto dicere, breuitatis causa; & quia multi dixerunt in Summis suis.

De remedijs contra peccata. *Cap. III.*

COelestis Medicus humani generis reparatiuus, tali modo sanauit ægrotum, sicut optimè competebat ægrotanti, & ægritudini, & occasione ægrotanti, & ipsius ægritudinis curationi. Aegrotus igitur homo est. Morbus autem originalis, & actualis culpa est.

Origo vero istius culpæ, licet principaliter fuerit ex consensu rationis, occasionem tamen accepit ex sensibus carnis.

Ad hoc ergo, quòd Medicina respondeat morbo oportuit, quòd non tantum esset spiritualis, verum etiam haberet aliquid de sensibilibus signis: vt sicut sensibilia fuerunt animæ occasio labendi, ita essent ei occasio resurgendi. Et propter hoc Medicina nostri vulneris consistit in Ecclesiasticis Sacramentis, quæ inuisibilem Dei gratiam nobis con-

ferunt visibilibus signis, & sensibilibus verbis. accedit enim verbum ad elementum, & conficitur sacramentum. Vnde D. August. admirans dicebat: Vnde est tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & animam abluat? Cui pie respondere possumus ab infinito merito passionis Christi, & à sanctissimis eius percussionibus, vel flagellationibus, quæ referente Gabriele Biela in lectione 53. fuerunt. num. 5475.

Sacramentum (secundum Magist. sentent. l. 4 distinc 1.) est sacræ rei signum. Vel sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma: ita, vt eius imaginem gerat, & causa existat.

Vbi sciendum est, quòd in omnibus sacramentis, forma duntaxat est visibilis, vt in sacramento Eucharistię forma panis, & vini est visibilis: sed gratia huiusmodi sacramenti est inuisibilis, scilicet ipse Dominus noster Iesus Christus, qui sua gratia animam purgat, reficit, & lætificat. Concil. Trident. sessio. 13. cap. 3.

Idem dicendum est de baptismo.

Vnde dicitur de consec distin 4. Quod renascitur homo ex aqua visibili, sacramento, & spiritu inuisibili.

Forma igitur ipsius sacramenti est visibilis, sed ipsa gratia, scilicet, ablutio inuisibi-

lis eſt: Dicitur ſacramentum ſecundum S. Thom. & Durandum, in 4. ſent. diſtin. 1. à ſacrando actiue, ſicut Medicamentum à medicando, & ornamentum ab ornando. Et ſicut medicamentum eſt illud, quo aliquis medicatur, & ornamentum quo aliquis ornatur. Sic ſacramentum eſt aliquid, quo aliquis ſacratur.

Dicitur quoque ſacramentum quaſi ſanans mentem, vel ſanctificans animam, vel quaſi ſignum ſacræ rei, vel ſacrum ſignans: vt expreſſe dicitur in lib 4. Mag. ſent. diſt. 1. in princ. Multi ſcripſerunt de ſacramentis, ideo omitto, & pauca dico.

De Baptiſmo, & profeſsione illorom, qui ſuſcipiunt Baptiſmum.

Cap. IIII.

QVando aliquis accedit ad ſacramentum Baptiſmi, Miniſter ipſius ſacramenti, qui eſt ſacerdos, Miniſter Eccleſiæ interogat eum, qui accedit. Vnde Verſus:

Verſ. Quomodo vocaris? N. vel P. &c. Ioannes, vel Petrus, vel Maria, quid petis ab Eccleſia Dei?

Reſpondit ipſe, aut patrinus: Fidem.

Verſ. Fides quid tibi prę{st}at?
Reſp. Vitam æternam. Tunc Sacerdos:
Hęc eſt autem vita æterna: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis: Et proximum tuum ſicut teipſum.

Sequuntur pręces, & cęremonia, vt in Rituario Romano. Deinde dicit Sacerdos: Accipe ſalem ſapientiæ, qui propitiatio ſit tibi in vitam æternam, Amen: pax tibi.

Item ſequuntur pręces, &c.

Accedentes autem ad fontem Baptiſmi, tàm per Sacerdotem, quàm per Baptizantem, vel per eius ſuſceptores ſimul dicitur: Credo in Deum, &c. Pater noſter &c.

Deinde Sacerdos interrogat Baptizandum proprio nomine, dicens:
Verſ. N. Abrenuntias Satanę?
Reſp Abrenuntio.
Verſ. Et omnibus pompis eius?
Reſp. Abrenuntio.
Verſ. Et omnibus operibus eius?
Reſp. Abrenuntio.

His dictis Sacerdos, Pollice oleo Catechumenorum intincto, Baptizandum in pectore, & inter humeros vngit in modum Crucis, ✠ dicens:

Ego te linio oleo ſalutis in Chriſto ✠ Ieſu Domino noſtro, vt habeas vitā ęter. Amē.

Sequi-

Sequitur N. vel P.

Credis in Deum patrem omnipotentem, Creatorem Cœli, & terræ?

Resp. Credo.

Credis in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum, natum, & passum?

Resp. Credo.

Credis in Spiritumsanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem, Remissionem peccatorum, Carnis resurrectionem, Vitam ęternam?

Resp. Credo.

Vers. N. vel P. Vis baptizari?

Resp. Volo.

Tunc Patrinus, siue Matrina admouet manus baptizando, & Sacerdos baptizans, semel dicit:

Ego te baptizo in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritussancti. ✠ Amen.

Pax tecum.

Resp. Et cum spiritu tuo.

Intingensque Sacerdos pollicem in Chrismate, signat in vertice, & dicit orationem.

Oremus.

Deus omnipotens pater Domini nostri Iesu Christi, qui te regenerauit ex aqua, & spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem peccatorum omnium, ipse te liniat Chrismate salutis, in Christo Iesu ✠ Domino nostro

ſtro, in vitam æternam. Amen.

Accipe veſtem candidam, & immaculatam quam perferas ante Tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt habeas vitam æternam. Amen.

Accipe lampadem ardentem, & irrepræhenſibilem: Cuſtodi baptiſmum tuum, vt cum Dominus noſter venerit ad nuptias, poſſis occurrere ei in aula Cœleſti. Amen. Vade in pace.

Ecce habes profeſsionem Chriſtianorum, qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit; qui vero non crediderit condemnabitur ſecundum Marcum 16.

Nota, quòd ſanctus Ciprianus inquit: Sarum eſſe baptizari, & Euchatiſtiam accipere, niſi quis factis, & opere perficiat, &c. num. 26. car. 462. ad Quirinum.

Et Euangeliſta Matht. 5. Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.





De

De mandatis seruandis in lege Diuina. Cap. V.

NOtandum est, quòd mandatum accipitur dupliciter in scriptura. Est enim mandatum Diuinum, & est mandatum humanũ. Qualitercunq; autem accipiatur mandatum, importat virtutem obligatiuam. Mandare enim pertinet ad superiorem, obedire autem ad inferiorem..

Sed quia intendimus de mandatis Diuinis quæ nobis in scriptura mandantur, ideo de istis aliquid dicemus.

Mandata ergo, sunt legis Diuinæ præcepta ad salutem hominum ordinata: quæ possunt in genus, species, & indiuidua distingui. Dicuntur enim mandata in genere, Amor Dei, & proximi. Sicut enim dicit Saluator per Matth. 22.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. hoc est maximum, & primum mandatum. secundum autem simile est huic.

Diliges proximum tuum sicut teipsum: in his duobus Mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ.

Sicut enim duabus alis sursum erigitur auis duabus pinnulis piscis in aqua dirigitur, duab. manibus homo opus suum exequitur.

Sic

Sic proculdubio per ista duo mandata natando, & discurrendo per mundum dirigimur: operando bona exequimur, volando sursum per contemplationem ad paradisum ducimur Nullus enim erigitur ad paradisum, nisi per ista duo mandata. Quia sicut dicitur secundum Matth. 19.

Si autem vis ad uitam ingredi, serua mandata.

Item dicuntur mandata in specie, & sic mandata Diuina diuiduntur in denas species: hoc est dictum in decem mandata decalogi: quæ sunt: vt in Exodo 20.

Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis:

Non habebis Deos alienos coram me.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, non enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.

Memento vt diem Sabbathi sanctifices.

Honora patrem tuum, & matrem tuam: ut sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

Non occides.

Non mœchaberis.

Non furtum facies.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

Non concupiſces domum proximi tui:

Nec deſiderabis vxorem eius, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, nec omnia, quę illius ſunt.

Iſta enim mandata inter ſe diuiduntur: quia ſcilicet, quædam ordinant hominem ad Deum, ſcilicet, tria, quæ erant ſcripta in prima tabula.

Quædam vero ordinant hominem ad proximum, ſicut illa ſcripta in ſecunda tabula. Et etiam iſta decem in multa indiuidua, ideſt in multa conſilia ſubdiuiduntur.

Breuiter ergo notemus, ꝙ decem mandata legis ſunt ſeruanda. Iſta enim ſunt quædam ſpiritualia vincula, intra quorum ambitum affectus humani tenentur ne vagari per vitia dimittantur.

Sicut enim dicit Plinius in Aegypto inueniuntur papyri decem cubitorum quarum radix eſt triangularis, & exinde prout dicit fiunt Naues ad nauigandum, funes ad ligandum, & veſtes ad induendum.

Iſtę papyri mihi ſignificant mandata Diuina, quę ſcilicet à radice triangulari, id eſt ab ipſo Deo trino, & vno originaliter proceſſerunt, & in Aegypto huius mundi a Deo data fuerunt, & in decem cubitos, ideſt in decem pręcepta Decalogi diſtincta, & diuiſa extiterunt.

Sicut

Sicut habetur Deuteronom. 10.

Moyses scripsit in tabulis verba decem, quæ locutus est Dominus.

Ista autem præcepta precipuè ad tria sunt necessaria: quia scilicet exinde fiunt vestes honestæ conuersationis, funes debitæ cohabitationis. Et naues tutæ peregrinationis. Sine enim istis decem mandatis bonæ conuersationis, vestibus non velamur.

Iustæ cohabitationis funibus nō ligamur. Tutæ peregrinationis nauibus nō portamur. Dei enim mandata possunt dici naues, quia per istud mare magnum, & spatiosum nullus ad portum Paradisi transuchitur, nisi qui mandatorum Christi nauicula continetur. Et ideo dicitur, quòd Christus iussit Discipulos ascendere in nauiculam, & pręcedere eum transfretum. Vnde Rex Dauid in Psalmo 118. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.

Et alibi dixit: Increpasti superbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis.

Et alibi dixit: In mandatis tuis exercebor: & considerabo vias tuas. Quia fidelia omnia mandata Dei, confirmata in seculum seculi.

Et alibi: Viam iniquitatis amoue à me: & de lege tua miserere mei.

Non est prætereundum illud, quòd dixit

Iesus

Ieſus in Euangel. ſecundum Mattheum 15. Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè eſt à me: ſine cauſa autem colunt me docentes doctrinas, & mandata hominum. Et conuocatis ad ſe turbis, dixit eis, audite, & intelligite;

Non quod intrat in os, coinquinat hominem: ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.

Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt:

Cogitationes malæ.
Homicidia.
Adulteria.
Fornicationes.
Furta.
Falſa teſtimonia.
Blaſphemiæ.

Hęc ſunt, quæ coinquinant hominem, non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.

Nota etiam, quod addo illud, quod ſcripſit D. Pa. ad Gal. 5. vos enim in libertatem vocati eſtis fratres; tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis, ſed per charitatem ſeruite inuicem. Omnis lex in vno ſermone impletur:

Diliges proximum tuũ ſicut teipſum.

Quòd

Quòd si inuicem mordetis, & comeditis; videte ne ab inuicem consumamini. Dico autem in Christo: Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit aduersus spiritum: Spiritus autem aduersus carnem. Hęc enim sibi inuicem aduersantur. vt non quęcunque vultis, illa faciatis. Quòd si spiritu ducimini, non estis sub lege.

Sequitur:

Manifesta sunt autem opera carnis: quę sunt;

Fornicatio.
Immunditia.
Luxuria.
Idolorum seruitus.
Veneficia.
Inimicitię.
Contentiones.
Aemulationes,
Irę.
Rixę.
Dissensiones.
Sectę.
Inuidię.
Homicidia.
Ebrietas.
Comessationes.

Et his similia. quę prędico vobis sicut prędixi,

dixi, quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur.

Sequitur.

Fructus autem spiritus est.
Charitas.
Gaudium.
Pax.
Patientia.
Longanimitas.
Bonitas.
Benignitas.
Mansuetudo.
Fides.
Modestia.
Continentia.
Castitas.

Aduersus huiusmodi non est lex: qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs.

Sequitur.

Si spiritu viuimus, spiritu, & ambulemus, non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. Fratres, & si præocupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerantes vosmetipsos, ne & vos tentemini.

Alter alterius honera portate: & sic adimplebis legem Christi. Nam si quis existimat

Opus autem suum probet vnusquisq;, & sic in semetipso tantum gloriam habebit, & non in altero; vnusquisq; enim onus suum portabit. Idem Paulus ad Romanos 2.

Non enim est acceptio personarum apud Deum. Quicunq; enim sine lege peccauerunt, sine lege, & peribunt: & quicunque in lege peccauerunt per legem iudicabuntur. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter, ea quæ sunt legis faciunt: eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum. & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cum iudicabit Deus occulta hominum secundum Euangelium meum per Iesum Christum: inquit Paulus ad Rom. 2.

Sequitur.

Si autem tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem eius. Et probas vtiliora instructus per legem: confidis teipsum esse ducem cæcorum: lumen eorum qui in tenebris sunt: eruditorem insipientium: magistrum infantium: habentem formam scientiæ, & veritatis in lege: Qui ergo alium doces, teipsum

non

non doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mechcharis: qui abhominaris idola, sacrilegium facis: qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras.

De lege, quid sit. Cap. VI.

NOta, quòd lex nihil aliud est quam superioris ordinatio, vel statutum ad subditorum regimen ordinatum. Lex igitur est quoddam spirituale vinculum, quo homines tenentur, & ligantur, ne per actus illicitos euagentur. Sicut enim animalia siluestria non domantur nisi primo fortibus vinculis teneantur; quia scilicet nunquam domita efficerentur, si sine vinculis ad voluntatem suam vagari dimitterentur.

Sic vere necesse fuit, vt leges, & mandata à Deo, & à superioribus fierent, vt infra limites iustitiæ vagabiles mores hominum corrigerentur, & domarentur.


Homo enim qui sine disciplina dimittitur, sicut vir vanus in superbiam erigitur, & sicut pullum onagri liberum natum putat. Iob 11. Nunquam enim homo perfectè corrigeretur, vel domaretur, si sine legis vinculo vagari ad arbitrium suum sineretur.

Et ideo ad ligandum mores hominum ne vagarentur, cōstituta est triplex lex. scilicet, Lex naturæ, lex scripturæ, & lex humanæ curæ.

Lex Naturæ est illa inflexibilis rectitudo, quam Deus in synderesi conscientiæ collocauit, quæ vnicuique dictat, & ostendit quid bonum fuerit, vel quid malum. De ista igitur dicitur Rom. 2. Gentes non habentes legem, cum naturaliter ea quæ legis sunt faciant, ipsi sunt sicut lex.

Lex scripturæ est illa quam Deus Moysi in scriptis dedit: Et quam Christus in scriptis Euangeliorum suis fidelibus dereliquit. De quibus dicitur Oseę 8. Scribam eis multiplices leges meas, quæ velut alienæ computatæ sunt.

Lex vero humanæ curiæ est illa, quam ad religimen hominum principes statuerunt. Vnde Paulus ad Romanos 7. Lex in homine dominatur quanto tempore viuit.



Omnes gentes vocantur à Christo, Exemplum.
Cap. VII.

CORnelius Centurio gentilis Italicus per Imperatorem in Palestine Cęsarea constitutus, religiose viuebat. & timens Deum, multas eleęmosynas faciebat, & sępius Deū exorabat, quapropter Deus ipsum perire non sustinens, Angelum sibi misit per quem ad Beatum Petrum directus, fidem, & baptismum suscepit.

Considera quomodo etiam elemosyna in Gentilibus, & alijs est Deo grata, quę apud Deum salutem possessori suo meretur, ita Diuina clementia, & communiter hominem pium, & misericordem quamuis alias sit peccator, non sustinet damnari iuxta verbum diui Hieronymi dicentis se non audisse hominem male mortuum pijs operibus assuetum. Sicut de Beato Gregorio legitur, quod Paganum suis orationibus ab Inferno suscitauit eo quòd ipsum fuisse pium audierat: ideo dicitur Thobiæ 4. quòd eleemosyna à peccato liberat. &c.

Cum Iudæi abhominarentur Gentiles, ita quod in primitiua Ecclesia Christi Discipuli, qui pro maiori parte Iudęi erant. Gentilibus non prędicarent, nec eis communicarēt,

ſed potius in Iudæa cum Iudæis habitarent. Factum eſt quod Petrus quadam die in Ioppem manebat, vbi in ſolarium vnius domus aſcenderet, & orabat. Factus igitur in extaſi linteum per quatuor angulos a Cœlo dimiſſum omnibus ſerpentibus, quadrupedibus, & volatilibus plenum ſibi præſentatum in viſu intuetur, & tunc de cœlo auditur, vox monens, vt comedat dicens: Surge Petre, occide, & manduca. Dixit autem nequaquam Domine, quia commune, aut immundũ nunquam introiuit in os meum: reſpondit autem vox ſecundo de cœlo: quæ Deus mundauit, tu ne commune dixeris. Quod Deus purificauit, tu ne immundum dixeris: Vas igitur illud mox in Cœlum recipitur, & per hanc viſionem intellexit Petrus, quod non eſt perſonarum acceptio apud Deũ, & quod Deus ita bene vult ſanctri gentiles, vt Iudęos, & quod indifferentes debent eſſe apoſtoli quo ad bonos & malos. Exinde factum eſt, quòd diſcipuli gentibus prædicauerunt, & eis communicantes, ipſos ad fidem, & Eccleſiam receperunt. Tunc igitur intrauit nuntius cornelij gentilis, qui fidem, & baptiſmum petebat, & ſic in viſione cognouit, quod neminem refutare deberet. Inde etiam factum eſt, q̃ diſcretionẽ cæremonialem ciborum legalium dimiſerunt, & cuncta animalia

malia dum tamen sana essent corporibus in cibaria receperunt.

De liberatione Sancti Petri à Vinculis per Angelum. Cap. VIII.

PEtrus captus ab Herode, vt post Pascha ab eo occideretur, primo in carcerē fuit missus duabus catenis vinctus, à quatuor quaternionibus militum custoditus. Verum cum oratio fieret ab Ecclesia sine intermissione ad Deum pro eo, factum est, ꝙ eadem nocte qua in crastinum debebat occidi, inter duos milites in carcere dormienti Angelus Domini astitit, & lumen in habitaculo circumfulsit percussoq; latere Petri, excitauit eum dicens illi. Surge velociter, præcinge te, & calcia te caligas tuas, & circunda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Ceciderunt igitur catenæ de pedibus eius, & ipse post Angelū ibat, & quod hoc per Angelum fiebat nesciebat, quinimo se videre somnium æstimabat. Transeuntes igitur primam & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem, quæ vltro aperta est eis, & sic de potestate Herodis exiuit, & cōtinuo Angelo recedente, Petrus ad se reuersus, Angelicum ministerium recognouit dicens: Nūc scio vere, quia misit Dn̄s Angelū suū, & liberauit me, &c. Ipse igitur Petrus ad fratres venit, & sic miraculosè se liberatum inuenit.

Reuera talis processus videtur quandoq; fieri in cōuersione peccatoris. Constat enim quòd Petrus qui interpretatur dissoluens, idest peccator pęnitens, robustus ad dissoluendum legis Diuinæ vincula assuetus: ab Herode Diabolo per peccatum capitur, in carcerem malæ consuetudinis truditur; quatuor quaternionibus, idest quatuor malis affectionibus traditur: duabus catenis, idest complacentia peccati, & dificultate pœnitendi stringitur: & sic ibi dormit, & quiescit: & inter duos milites, scilicet inter excęcationem mentis, & considerationem finis ibi commoratur, Nec cogitat, quòd de eius dānatione, & morte tractetur, & quod in crastino, idest subito damnandus à Demonibus expectatur. Vnde Luc. 19.

Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis: Sed Deus, qui videt damnationis periculum, Angelum suum, idest aliquem Euangelicum prædicatorem, vel prælatum sibi mittit: qui ipsum arguendo percutit, & ad surgendum de peccato exeundumq; de periculo excitat, & inducit.

Percutit igitur latus, idest cor & pęctus eius per contritionem, cadunt catenæ vitiorum per confessionem, & p absolutionē surgit; per peccati displicentiam præcingit se: Per abstinētiam, & temperantiam, & superfluitatem

fluitatem resecationem calciat caligas suas: idest multiplicem bonam affectionem circũdat sibi vestimentum suum, idest bonam cõuersationem: Sequitur Angelum prędicatorem per bonam imitationem, & obedientiæ executionem. Vnde Exo. 32.

Angelus meus pręcedet te. quasi dicat custodi, & obserua mandata eius.

Primam, & secundam custodiam transit per culpę, & pœnę euasionem: & sic ad portam ferream, idest ad duram pœnitentiam, quæ ad ciuitatem Paradisi perducitur per proprię carnis macerationem; & ita liber de manu Herodis, idest Diaboli efficitur: & fratribus, idest fidelibus adiungitur per gratiam, & deuotionem. Lucę 1.

De manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi. ad laudandum Deum, & Angelum, qui ipsum liberauit: idest prelatum, qui ipsum conuertit, per gratiarum actionem quando se liberatum cognoscit, & euasisse periculum, & damnationem, dicens: Nunc scio vere, quia misit Dominus Angelũ suum, & liberauit me. Psal. 123. Laqueus contritus est: & nos liberati sumus.

Discipulis audientibus Petrum stare ante ianuam, & non credentibus. dictum est quòd Angelus eius erat.

Ecce quomodo probatur, quòd quilibet

habet

habet Angelum ſibi deputatum. Vnde dicitur Matth 18. Angeli eorum vident ſemper faciem patris mei, qui in Cęlis eſt.

De interitu Herodis. Cap. IX.

CVm Herodes quadam die in Cæſarea, inductus, & veſte regali pro tribunali ſederet, & Tirij, & Sydonij quibus iratus fuerat, adularentur eidem, & vocem Dei, & non hominis acclamarent, hoc eſt dictu, quod laudes Deo, & non hominibus debitas ſibi adulando dicerent, ipſum eo ſuſtinente, & approbante tanquam Deum collaudarent: Affuit Angelus Domini, qui percuſsit ipſum, & ſtatim conſumptus à vermibus expirauit. Ecce quomodo tranſit gloria mundi.

De cauſis, quare, & boni, & mali flagellantur in hac vita. Cap. X.

Dub. QVæritur quare Deus mittit flagella? Et ſi propter peccata; quare, & boni ſimul, vt mali flagellantur, cum non ſic grauiter peccent? *Reſp.* Reſpondit Pater Auguſtinus in libro de Ciuitate Dei, cap. 9. dicens.

Propter enim horrendam ſuperbiam, luxuriam, & auaritiam, atq; execrabiles iniquitates & impietates Deus conterit terras, & populos. in quibus flagellis ſimul, & boni cum malis flagellantur temporaliter: quia licet bonis vita malorum diſpliceat, & ideo

cum

cum illis non ibunt in ignem æternum: quia tamen non obiurgant vitia eorum cum commodè, & cum fructu possint: & quia venialiter peccant ideo temporaliter cum malis flagellantur. Nã pater filijs, maritus vxori, Dominus seruis, pastor subditis multa parcunt, & non obiurgant, ne eos molestent, ideo propter talia cum malis flagellantur.

Quot sunt causæ morborum. Cap. XI.

QVinq; sunt causæ morborũ, vt ponit Illustris. Carolus Borrhomæus S.R.E. Cardinalis, & Archiepis. Mediolanẽsis. Aut inquit ad merita augenda, vt habetur in Biblia de Iob. & de Thobia. Aut ad custodiã virtutum, vt fuit in D. Paulo: qui dixit datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, vt me colaphizet, propter ꝙ ter Dominũ rogaui, vt discederet à me, & dixit mihi sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur, vt dicit idem D. Paulus 2. ad Corinth. 12.

Aut ad intelligenda, & corrigenda peccata nostra, vt fuit in Maria sorore Aaronis; vt legitur in libro Numeri 12.

Aut ad singularem gloriam Dei, vt fuit in cæco nato: vt legitur in Euangelio.

Aut ad inchoationem damnationis æternæ, quòd plerisque contingit, quibus nec ipsa quidem vexatio dat intellectum.

An in vita male viuenti, pœnitenti in fine vitæ, securitas dari possit de remissione?
Cap. XII.

RESpondit Diuus Augustinus in lib. Homiliarum quinquaginta, in homil. 41. Si quis autem positus in vltima necessitate ęgritudinis suę voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliabitur, & hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non pręsumimus, quia bene hinc exit. Non pręsumo, non vos fallo, non pręsumo, fidelis bene viuens securus hinc exit, Baptizatus ad horam securus hinc exit, agens pœnitentiam, & reconciliatus cum sanus est, & postea bene viuens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam ad vltimum, & reconciliatus, si securus hinc exit non sum securus, pœnitentiam dare possum, securitatem non possum. Nunquid ergo damnabitur? Non dico, sed nescio, non pręsumo, non promitto, Nescio: Vis te ergo de dubio liberare? Vis quod incertum est euadere? Age pœnitentiam dum sanus es, & si feceris pœnitentiam dum sanus es, & inuenerit te nouissimus dies, curre vt reconcilieris, si sic agis securus es. Quare securus es? Quia egisti pœnitentiam eo tempore, quo peccare po-

potuisti, si autem tunc vis agere pœnitentiam quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu peccata, quid ergo? Duę res sunt, aut ignoscitur tibi, aut nó ignoscitur, quid horum futurum tibi sit nescio, ergo tene certum, & dimitte incertum.

Cur peccator ex longa consuetudine difficile conuertatur? Cap. XIII.

RESpondit D. Aug. in lib. Confessionum, cap. 5 dicens: Talis enim peccator ligatus quidem est non ferro alieno, Sed uoluntate sua propria ferrea. Velle suum tenet inimicus, & inde ei catenam facit, & eum ligat.

Nam ex voluntate peruersa fit libido, & dum seruitur libidini fit consuetudo, & dum non resistitur consuetudini, fit necessitas, & sic tali catena ligatus difficile soluitur.

De exprobrationibus, Va, super hominem peccatorem. Cap. XIIII.

SVper Cathedram Moysi sederunt scribę, & Farisei, omnia ergo quæcunque dixerint vobis seruate, & facite: secundùm verò opera eorum nolite facere: dicunt enim, & non

non faciunt: Alligant auté onera grauia; & importabilia, & imponunt ea in humeros hominũ: digito aũt suo nolunt ea mouere. Omnia verò opera sua faciunt. vt videantur ab hominibus: dilatant.n. phylateria sua, & magnificant fimbrias; amant autem primos recubitus in cęnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi: vos autem nolite vocari Rabbi, Vnus est .n. Magister vester, omnes auté vos fratres estis: & patré nolite vocare vobis sup terram: vnus est .n. pater vester, qui in Cœlis est. Nec vocemini Magistri: quia Magister vester vnus est Christus. Qui maior est vestrum erit minister vester. Qui autem se exaltauerit humiliabitur, & qui se humiliauerit exaltabitur, habetur Matth 23. Væ autem vobis Scribæ, & Pharisei hypocritæ, quia clauditis regnum Cęlorum ante homines. Vos.n. non intratis, nec intro euntes sinitis intrare.

Væ vobis Scribæ, & Pharisei hypocritæ: quia comeditis domos viduarũ oratione longa orãtes, pp hoc amplius accipietis iudiciũ.

Vę vobis Scribæ, & Pharisei hypocritæ: quia circumitis mare, & aridam, vt faciatis vnum proselytum, & cum fuerit factus: facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos.

Væ vobis Scribæ, & Pharisei hypocritæ duces cęci: qui dicitis quicunq; iurauerit per

tem-

templum nihil eſt: qui aũt iurauerit in auro templi debitor eſt; ſtulti,& cęci, quod enim maius eſt, aurum,an templum quod ſanctificat aurum? Et quicunq; iurauerit in altari nihil eſt; quicunq; autem iurauerit in dono, quod eſt ſuper illud debet; Cęci, quod enim maius eſt, donum, an altare quod ſanctificat donum? Qui ergo iurat in altari; iurat in eo, & in omnibus, quę ſuper illud ſunt. Et quicunq; iurauerit in templo: iurat in illo,& in eo qui habitat in ipſo. Et qui iurat in Cœlo: iurat in Throno Dei, & in eo, qui ſedet ſuper eum.

Væ vobis Scribæ, & Phariſei hybocritæ: qui decimatis mentam,& Anethum,& Cimi num & reliquiſtis,quæ grauiora ſunt legis, iu diciũ:& miſericordiã,& fidem: Hæc oportuit facere:& illa non omittere. Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes.

Vę vobis Scribę,& Phariſei hypocritę:qui mundatis quod de foris eſt calicis,& paropſidis: intus autem pleni eſtis rapina, & immundisia. Phariſęe cęce munda prius, quod intus eſt calicis,& paropſidis: vt ſiat, & id quod de foris eſt mundum.

Vę vobis Scribę, & Phariſei hypocritę: quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis: quę foris apparent hominibus ſpecioſa, intus vero plena ſunt oſsibus mortuorũ, & oĩ ſpurcitia.

Sic,

Sic, & vos foris quidem apparetis hominibus iusti; intus autem pleni estis hypocrisi, & iniquitate.

Vę vobis Scribę, & Pharisęi hypocritæ; qui ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iustorum, & dicitis si fuissemus in diebus Patrum nostrorum; non essemus socij eorum in sanguine prophetarum.

Itaque testimonium estis uobismetipsis; quia filij estis eorum, qui prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram patrum uestrorum.

Serpentes genimina viperarum; quomodo fugietis à iudicio Gehennę? ideo dico vobis, &c. Matth. 23.

Qui Scribæ, & Pharisæi dicuntur. Cap. XV.

QVi legem Moysi profitentur, & interpretari se gloriantur; hi sunt, qui sedent super Cathedram Moysi.

Qui verò non recedunt à litera legis; scribæ dicuntur.

Qui autem maius aliquid profitentes, diuidunt seipsos quasi meliores à multis; Pharisęi dicuntur; qui interpretantur diui-

Qui

Qui autem Moysem secundum spirituale virtutem intelligunt, & exponunt: sedent quidem super cathedram Moysi: sed non sunt Scribæ, & Pharisei, sed his meliores: dilecti Christi discipuli. Post aduentum Christi sedent super Cathedram Ecclesiæ, quæ est Cathedra Christi. Hæc ait Origenes super Mattheum.

Hypocritæ per quinque cognoscuntur.
Cap. XVI.

PRimo cognoscuntur per hoc quod opprimunt bonos, & obloquuntur eis. Nã omnes hypocritę sunt detractores bonorum, & adulatores malorum. Quia hypocritę bona opera bonorum in peius interpratantur: & mala opera diuitum excusant, & in bonum interpratantur: & hoc faciunt propter fauorem, & lucrum. Vnde Bernardus. Alijs adulantes detrahentes mordaces, vt canes, dolosi vt vulpes superbi vt leones, intrinsecus etiam sunt vt lupi rapaces. Vbicunq; ergo cernis vnum in habitu submisso, vel spirituali, qui detrahit proximis. & libenter mala noua narrat de alijs; scias eandem personam esse hypocritam.

Secundum signum est facilis repræhensio aliorum : quod faciunt ideo , vt videantur habere zelum , & charitatem : peccata aliorum aggrauant , & magna reputant : sua autem peccata parua, & leuia existimant. Contra quos dicit Christus in Euangelio Luc. 6. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est non consideras? Hypocrita eice primo trabem de oculo tuo, & tunc perspicies, vt educas festucam de oculo fratris tui.

Diuus Bernardus declarat hypocritam, dicens. Hypocritæ volunt esse sine auctoritate Iudices : sine visu testes ; postremo falsi accusatores & omni veritate carentes.

Tertio Hypocritæ cognoscuntur in hoc, quod in aduersis sunt valde impatientes : super omnes enim mouentur, & offenduntur ad contumelias sibi dictas, immo vnum verbum ipsis in contrarium dictum ipsos perturbat, & hoc est signum superbiæ. Vnde D. Hieronimus. Qui laudem non appetit, contumeliam non sentit. Et D. Gregorius inquit. Qualis vnusquisq; apud se lateat illata contumelia probat : sed tales qui propter vnum verbum ipsis in contrarium dictum mouentur, non sunt veri Religiosi, nec deuoti, sed hypocritæ : quia nihil volunt sustinere propter Deum.

Et D. Bernardus aiebat. Hypocritæ volunt esse humiles sine despectu, pauperes sine defectu, bene vestiti sine sollicitudine, delicate pasti sine labore.

Quarto cognoscuntur hypocritæ per hoc quòd Deus permittit eos cadere in publica, & manifesta peccata, sic quòd confundantur coram hominibus; & hoc signanter contingit illis, qui se estimant esse bonos, & spernunt alios. Vnde Isidorus in libro de summo bono 4. inquit. Plerunq; vtile est arrogantibus deseri à Deo quatenus suæ infirmitatis conscij ad humilitatem redeant, & humiles post casum existant.

Quinto cognoscuntur hypocritæ, quando nimis humilia de seipsis dicunt, & eadem ab alijs de se dici audire nolunt. Sicut exempli gratia aliqui dicunt, ego sum malus, & pessimus: sed si hoc idem alius de ipsis proferret hoc omnino non sustinerent, sed proteruis verbis contradicerent. Vnde dixit D. Gregorius in moralibus. Superbiæ vitium est, vt quòd se fateri quisquam quasi sponte dignatur, sibi, hoc dici ab alijs dedignatur: vnde bonorum & humilium est, se non laudare, nec etiam se multum vitupetare.

Non te collaudes nec culpaueris ipse: ait Cato.

Hoc faciũt stulti quos gloria vexat inanis.

Hypocrita comparatur simiæ.
Cap. XVII.

NOtandum est, q hypocrisis est peccatum valde detestandum: quia hypocrita est simia Diaboli volens imitare filios Dei: & quod filij Dei faciunt ad sui decorationem: ipse facit ad sui iugulationem. Sicut de simia quadam refertur exemplum, quòd quidam pauper sutor pręparabat calceos, & scidit corium ad calceos, & quando surrexit, & cultellum de manu deposuit, tam citò simea ex opposito in domo cuiusdam diuitis, quæ eum obseruabat accurrit, & etiam sibi corium prescidit volens facere sicut à sutore vidit: & sic dextruxit pauperi suum corium, quod ipse pauper diuiti sepius conquestus est: sed ille diues modicum verba sua curauit. Vnde postea vna vice ille sutor vnam nouaculam cepit ad manum, & rasit sibi barbam, & sub collo suo, & sub gutture suo, quod cernens simia, etiam post recessum sutoris aduenit, & nouaculam recepit, & sic similiter sibipsi voluit facere sicut vidit: & sic sibipsi abscidit collum. Et sic hypocritæ faciunt sibi ad pernitiem, quod boni sibi ipsis faciunt ad salutem.

Exemplum legimus.

Quòd erat quędam inclusa, quę apparebat valde deuota, & consueuit frequenter dicere ad suum confessorem, qui sepius ad eam accessit, & confessionem eius audiuit, ò bone Domine orate Deum pro me, Ego sum ita mala, & pessima mulier, quòd timeo ne Dominus homines puniat propter delicta mea.

Tunc Sacerdos sicut vir discretus voluit experiri vtrum esset sibi fundamentum vere humilitatis; an non? Et alia vice quando ipsa iterum sibi talia verba protulit dicens se esse pessimam pre alijs mulieribus: Tunc Sacerdos respondit ei dicens hoc ego sepius audiui antea de te dici: Tunc ipsa immediate commota dixit vos mentimini ad collum vestrum, & quicunq; vobis dixit, vel de me talia loquitur similiter mentitur: quia nunquam fui talis sicut iam me asseritis.

Tunc Sacerdos humiliter respondit dicēs modo ego intelligo tuam superbiam, & hypocrisim: quia tu loqueris de teipsa quod ab alijs dedignaris audire, & hoc est signum non vere humilitatis, sed superbiæ interioris.

Hypo-

Hypocritæ sunt simulatores, sicut dicit Beda super Lucam. Reuertamur ad propositum nostrum, Væ. Nota, quòd istud nomen Vę, nomen est comminatorium, & nomen maledictorium.

De triplici væh. Cap. XVIII.

IOannes (Apoc. 8.) audiuit vocem magnã Aquilæ volantis, per medium Cœlum, dicentis. Væh, væh, væh, habitantibus super terram. Aquila enim illa est Dei filius, qui pro certo habitatoribus terræ, idest dilectoribus mundi triplex væh, idest triplicem maledictionem comminatur, scilicet væh miseriæ, væh culpę, vęh ęternę pœnę.

Dicam igitur, quod inuenitur in scriptura.

Vęh quod est afflictorum.
Vęh quod est peccatorum.
Vęh quod est damnatorum.

Primum vęh debet sustineri cum patientia.
Secundum vęh debet abhorreri cũ diligẽtia.
Tertium vęh debet pręcaueri cum sapientia.

Primum væh est terrenę tribulationis cui subijcimur.

Secundum vęh est internę inquinationis per quam inficimur.

Ter-

Tertium vęh est externæ damnationis per quam affligimur.

Dicamus ergo, quòd est vnum vęh cui miseri subijciuntur; Multis enim afflictionibus, & maledictionibus, & multis infortunijs casibus subijcimur in hoc mundo.

Subijcimur enim, dolori, mœrori, errori, languori, timori, & clamori.

Subijcimur dico væh multorum dolorum. Vnde Hieremias 45. Vęh mihi misero, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo: laboraui in gemitu meo, & requiem non inueni.

Item incurrimus væh multorum mœrorũ. Dominus enim mittit nobis quotidie librũ Ezechielis scriptum intus, & foris: vbi scriptæ erant in eo lamentationes, & carmen, & væh. Ezechielis 2. Quia quotidie risus dolori miscetur, & extrema gaudij luctus occũpat.

Item incurrimus væh multorum errorum. Sæpe enim fit, quòd errore seducti nos dicimus bonum esse malum; & econtrario; malum esse bonum. Esa. 5. Væh qui dicitis malum bonum, & bonum malum, &c. Et merito nos erramus, quando sensualitas, & non ratio nos gubernat. Vnde Ecclesiastes 10. Væh tibi terra cuius rex est puer. Item incurrimus, væh multorum languorum: Quo-

tidie enim languoribus affligimur, & grauamur. Vnde Hieremias 10. Vęh mihi super contritione mea, pessima, plagæ mea.

Item incurrimus væh multorum timorum. Vnde Psalm. Timor, & tremor venerunt super nos, & contexerunt nos tenebræ. Vnde Hieremias. Vęh nobis: quoniam vastati sumus, & postea. Væh mihi, quia defecit anima mea propter interfectos.

Item incurrimus vęh multorum laborum, seu clamorum: quia si non sumus in loco pacis, sed potius discordię, & clamoris. Vnde Hieremias 15. Væh mihi Mater mea, quare genuisti me virum rixę, & discordię in vniuersa terræ? Non feneraui, nec fenerauit mihi quisquam. Omnes maledicunt mihi dicit Dominus.

Sic ergo patet, quod est vnum vęh cui subijciuntur miseri, quod est tolerandum.

Secundo dico, quod est vnum væh quod est pœnæ per quod homines inficiuntur, & illud est væh culpę. Quęlibet enim culpa quam contrahimus, est vnum vęh, & vna maledictio qua incurrimus. Vnde Iob 10. Et si impius fuero vęh mihi est. Et si iustus non leuabo caput, saturatus afflictione, & miseria, & propter superbiam quasi Leenam capies me: reuersusq; mirabiliter me crucias. Instauras testes contra me, & multiplicas iram tuam

aduer-

aduersum me, & pœnę militant in me. Et dico, quòd per istud vęh maledicuntur multa genera peccatorum, scilicet

Mendaces,	Contradicentes,
Loquaces,	Viri insipientes,
Fallaces,	Malè pensantes,
Tenaces, vel	Durè regnantes,
Rapaces,	Carnem amantes,
Procaces,	Deum linquentes,
Voraces,	Dupla loquentes,
Mordaces,	Superbientes,
Læte viuentes,	De se sperantes,
Male regentes,	Decipientes.

Est igitur vnum væh viris mendacibus. Vnde Esa. 5. Væh qui dicitis bonum malum.

Item est væh viris loquacibus, idest adulatoribus, quia tales, verbis alios decipientes, à Deo maledicti sunt. Ezech. 13. Væh qui consumunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas.

Item est vęh viris fallacibus scilicet hypocritis. Matth. 23 Vęh vobis Scribę, & Pharisei hypocritę, qui similes estis sepulchris dealbatis, &c.

Item est væh viris tenacibus, & auaris. Abacuch 2. Væh ei qui multiplicat non sua. Iterum. Vęh, qui congregat auaritiam

ma-

malam domui suæ, vt sit in excelso nidus eius, & liberari se putat de manu mali.

Iterum væh qui ędificat ciuitatem in sanguinibus, & præparat vrbem in iniquitate. Vnde etiam Esa. 5. Vęh qui coniungitis domum ad domum, & agrum ad agrum copulatis, vsq; ad terminum loci. Nunquid habitabitis vos soli in medio terræ? in auribus meis sunt hæc dicit Dominus.

Item est væh viris rapacibus. Esa. 23. Væh qui prædaris, nonne, & ipse prædaberis?

Item est væh viris procacibus, & fatuis, insolentibus, obstinatis, inobedientibus. Esa.
Esaiæ 29. 29. Væh qui profundi estis corde.

Item est væh viris voracibus gulosis, & ebriosis. Esa. 5. Væh qui potentes estis ad bibendum vinũ, & fortes ad miscendam ebrietatem: Et Prouerb 23. Cui væh, cuius patri, væh cui rixę, cui foueæ, cui suffossio oculorum, cui sine causa vulnera, nisi his qui morantur in vino, & student calicibus epotandis? *Prouerbiorum 23.*

Item est væh mordacibus viris, scilicet detractoribus, & prouocatoribus. Sophon. 3. Væh prouocatrix, & redempta ciuitas, columba.

Item est væh lætè viuentibus, id est diuitibus mundi. Luc 6. Væh vobis diuitibus, qui hic habetis consolationem: Et Amos 6.

Væh

Væh qui opulenti eſtis in Syon.

Item eſt væh male regentibus, ſcilicet malis iudicibus, & præſidentibus, & prelatis. Hier. 23. Væh paſtoribus qui diſpergunt, & dilacerant gregem paſcuę meę. Dicit Dominus. Et Ezech. 34. Væh paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos: nonne greges à paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis: gregem autem meum non paſcebatis, &c.

Item eſt vnum vęh contradicentibus, ſcilicet rebellibus inobedientibus, & seductoribus brigoſis. Eſa. 45. Vęh qui dicit Patri, quid generas? & mulieri, quid parturis? Et Luc. 17. Vęh autem homini illi per quem ſcandalum venit. Vtilius eſt illi ſi lapis molaris imponatur circa collum eius, & proijciatur in mare, quàm, vt ſcandalizet vnum de puſillis iſtis. attendite vobis.

Item eſt vęh inſipientibus. Ezechiel. 13. Væh prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident.

Item eſt vęh malè penſantibus, ſeu cogitantibus. Mich. 2. Vęh qui cogitatis inutile, & operamini malum.

Item eſt væh durè furentibus, ſeu regnantibus, ſcilicet viris crudelibus. Eſa. 10. Vęh aſſur virga furoris, &c.

Item

Item est væh carnem amantibus. Naum 3. Væh Ciuitas sanguinum vniuersa mendacij dilaceratione plena.

Item est væh Deum spernentibus. Ecclesi. 41. Væh vobis impij, qui dereliquistis legem Dei Altissimi. Oseæ 7. Væh eis, quoniam recesserunt à me, quia præuaricati sunt in me, & ego redemi eos, & ipsi locuti sunt contra me mendatia, & non clamauerunt ad me in corde suo, sed vlulabant in cubilibus suis, super triticum, & vinum ruminabant, recesserunt à me.

Item est væh dupla loquentibus, scilicet viris duplicibus. & fallacibus. Ecclesi. 2. Vęh duplici corde, & labijs sceleratis.

Item est væh superbientibus. Esa. 28. Væh coronæ superbiæ, ebrijs Ephraim, & flori decidenti.

Item est væh de se sperantibus, & præsumētibus. Esa. 5. Væh qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.

Item est væh decipiētibus. s. proditoribus, & iniquis. Vnde Matth. 26. Væh homini illi per quem filius hominis tradetur: bonū erat ei, si natus non fuisset homo ille. Et Abac. 2. Vah qui dat potum amico suo miscens fel suū, & inebrians, vt aspiciat nuditatem eius.

Ista sunt viginti væh, idest viginti maledictiones, quæ generibus viginti peccatorū

applicantur, & quibus ipsi peccatores spiritualiter corrumpuntur. Sic ergo dico, quod est vnum væh per quod inficimur, quod est abhorrendum.

Tertio dico, ꝙ est vnũ væh per quod affligimur, & illud est væh. i. maledictio pœnæ ęternæ, quod sequitur væh miserię, & vęh scilicet quo damnati, ipsi maledicuntur, & excommunicantur, & à Deo perpetuo reprobãtur. Et aduerte quod istis, est vęh propter multa; videlicet pœna eorũ non releuatur: quia pœna ipsorum semper augmentatur. Quod non releuatur pœna eorum patet: quia nunquam terminatur, vel quod non temperetur. Quia etiam semper augmentatur patet Hiere. 25. Vbi dicitur. Væh mihi misero quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo. Et quod etiam nunquam terminetur patet Sopho. 2. Azotum in meridie eijcient, & Accaron eradicabitur. Vęh qui habitatis funiculum maris, gens perditorum.

Funiculus enim ligamentum æternitatis designat. Mare autem amaritudinẽ designat. Perditio vero, ꝙ nunquam amplius debet inueniri denotat. Ideo ipsis dicitur. Nume. 21. Væh tibi Moab, perijsti. Popule Chamos. Sic ergo patet quo genere aliter loquẽdo, triplex væh. i. tria damna, vel infortunia in scriptura ponuntur. Miseriæ, pœnę, & culpæ.

Adhuc

Adhuc dico.

Mala humanæ miseriæ sunt tolleranda, siue sint naturalia mala. Vt

Surditas.

Cæcitas.

Debilitas.

Infirmitas. Et similia.

Vel sint mala causalia. Vt

Subiti raptus.

Subiti ignes.

Subite mortes.

Subite tempestates. Et similia.

Siue sint mala temporalia, vt sunt

Aduersitates.	Accusationes.
Paupertates.	Verbera.
Inimicitiæ.	Diffamationes.
Depressiones.	Carceres.

Et similia, quæ sunt in patientia tolleranda, & humidi modo, & meditatione, conside-randa.

Deus enim fecit nos, & non ipsi nos. Et sicut lutum in manu figuli. Sic nos etiam sumus in manu, & voluntate Creatoris, & Domini Dei nostri.

Bona autem, & mala, vita, & mors, paupertas, & diuitiæ, & honestas, à Deo sunt; quia ipse est creator omnium. Vnde Iob 2. Si bona suscepimus de manu Domini; mala autem quare non sustineamus? Et alibi di-xit

xit Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Et Paulus 1. ad Corinth. 10. Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, &c. Sed obserua, quod quando de malis loquor, non veniunt intelligenda mala culpæ: Nam Deus talia mala minime facere potest: sed solum intelligo de malis pœnæ.

Malum pœnæ ęternę est abhorrendum.

Quoniam in peccato est delectatio cum contemptu Dei, meritò præcipitatur peccator talis in locum infectum, & despectum, & maxime à statu glorię elongatum, scilicet in Infernum, vbi à despectis rebus puniatur: scilicet à fecibus corporum mundanorum. Quia in inouatione mundi, quicquid est ignobile in mundo ad locum pœnarum defluet, & ibi horrorem carceris multiplicabit. Infernus enim est locus tenebrosus cum sit locus iustitiæ. Et secundum Sanctum Basilium. Deus facta mundi purgatione diuidet a calore splendorem, & totum calorem mittet ad regionem damnatorũ vt amplius crucientur. Et totum splendorem mittet ad regionem Beatorum, vt amplius iucundentur. Et D. Bernardus inquit. Exulati à Paradisi patria cruciabuntur in gehenna ęterna, nunquam lucem visuri: nunquam re-

fri-

frigerium adepturi: sed millia millium in Inferno cruciandi, nec vnquam inde liberandi, vbi nec qui torquet aliquando fatigatur, nec qui torquetur moritur.

Damnati erunt à Deo condemnati. Vnde dicit Christus secundum Matth. 25. Discedite à me maledicti in ignem æternum: qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.

Denique dico, quòd inuenitur malum culpæ, quod est formidandum.

Malum enim culpę, & nequitię finaliter ducit hominem ad malum infernalis penuriæ, & angustiæ. de quo Hieremias 42. Propè est interitus Moab, & malum eius. Pœna enim Inferni propriè dicitur malum, & hoc quia contrariatur summo bono, scilicet gloriæ Paradisi. Istud est enim malum, quod semel habitum nunquam terminatur, quod iuxta debitum culpis adaptatur; quo Cœlum perditum nunquam recuperatur; quo ad inuentum, mali aggrauantur. Vnde Hieremias 11. Inducam super eos mala de quibus exire non poterunt: item iuxta debitum culpæ malum adaptatur. Vnde Paulus 2 ad Corinthios 5. Omnes enim nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit siue bonum siue malum.

Hiere. 11.

2. Cor. 5

Insuper mali sunt in tormentis grauandi, quia

quia ſicut dicitur in Eccleſiaſtico 6. Improperium enim, & contumeliam malus hæreditabit, & omnis peccator, inuidus, & bilinguis. Et Eccleſiaſticus 7 dicit. Quoniam vindicta carnis impij, ignis, & vermis.

Iſtud malum eſt formidandum & ſummopere præcauendum: quia damnatis datur malum ad interitum, & iſtud malum dicitur mors æterna. Dicit Scriptura. Amatores malorum digni ſunt morte.

Mali homines peccatores mittuntur in gehennam. Cap. XIX.

GEhenna accipitur pro pœna æterna, & interpretatur vallis triſtitiæ: Infernus enim vallis dicitur triſtitiæ eò, quòd ſcilicet ad modum vallis fęces, & immunditię, ideſt villes, homines peccatores, ibi deſcendunt, & eò quòd ad modum vallis Infernus inferius in terræ voraginibus habet ſitum. Ita figuratur in valle filiorum Ennon vbi dicitur, quòd antiquitus dicebatur eſſe gehenna, eo quòd ſemper ardebat, & eò quòd Idolatrę ibidem filios comburebant. Sicut ſupponitur Hiere. 7. vbi. Ecce furor meus, & indignatio mea conflatur ſuper locum iſtum, ſuper vos, & ſuper iumenta, & ſu-

per lignum regionis, & super fruges terrę: & succendetur, & non extinguetur. Hæc dicit Dominus exercituum. Deus Israel, &c. Ambulate in omni via, quam mandaui vobis, vt bene sit vobis. Et non audierunt, nec inclinauerunt aurem suam: sed abierunt in voluptatibus, & in prauitate cordis sui mali: factiq; sunt retrorsum, &c.

Homo per peccatum destruxit in se bonum, quod posset esse perpetuum, & ęternum bonum & ideo merito perpetuum incurrit malum.

Peccatum à vita perpetua separat, scilicet à Deo: ideo mortem perpetuam incurrit peccator. Vnde Iudith 16. Dabit enim ignẽ, & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & sentiant vsq; in sempiternum, habebunt infirmitatem omnium membrorum dixit Isaias 13. Omnes manus dissoluentur, & omne cor hominis contabescet, & conteretur, torsiones, & dolores tenebunt: & quasi parturientes dolebunt.

Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te. Inquit Sanctus Hieronimus. Et hæc satis.

Finis Secundæ Partis.



TERTIA PARS OPVSCVLI.

Attende tibi.

DONI LAVRENTII PATAVINI Ordinis Canonicorum Sancti Georgij in Alga Venetiarum.

Honorificè agit de Clericis, & Religiosis, quomodo se habere debeant in statu suo, & in professione sua.

De Clericis. Cap. I.



IHIL est, quòd alios magis ad pietatem, & Dei cultum assiduè instruat: quàm eorum vita, & exemplum, qui se diuino ministerio dedicarunt. Cum .n. à rebus sæculi in altiorem sublati locũ cõspiciantur: in eos, tanquam speculum reliqui oculos cõijciunt, ex ijsq; sumunt, quod immittẽtur. Quapropter sic decet omnino Clericos, in sortẽ Domini

vocatos, vitam, moresq; suos omnes componere, vt habitu, gestu, incessu, sermone, alijsque omnibus rebus nihil, nisi graue, moderatum, ac Religione plenum, præseferant: læuia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant: Vt eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cum igitur, quò maiore in Ecclesia Dei, & vtilitate, & ornamento hæc sunt, ita etiam diligentius sint

Tridét. Syn. obseruanda, statuit sancta Synodus Tridentina, Sessione 22. de reformatione, cap. 1. Vt quæ alias à summis Pontificibus, & Sacris Concilijs de Clericorum vita, honestate, cultu doctrinaq; retinenda, ac simul de luxu commessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscunq; criminibus, necnon secularibus negotijs fugiendis copiose, ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterũ ijsdem pœnis, vel maioribus arbitrio Ordinarij imponendis, obseruentur, necnon appellatio executionem hanc, quę ad morum correctionem pertinet suspendat. Si qua verò ex his indesuetudinem abijsse compererint: ea quamprimum in vsum reuocari, & ab omnibus acutè custodiri studeant non obstantibus consuetudinibus quibuscunque, ne subditorum neglectę emendationis, ipsi condignas à Deo vindice, pœnas persoluant.

Clerici possunt fieri quocunq; die, & hora,

ra, etiam extra Missarum solemnia, secundum Pontificale Romanum.

De regimine mensæ. *Cap. II.*

NEmo cibum capiat donec benedictio fiat.
Vultus hilares habeatis.
Sal cultello capiatis.
Quid edendum sit ne petatis.
Rixas, murmur fugiatis.
Membris erectis sedeatis.
Dum manducatis mappam mundam teneatis.
Alijs partem tribuatis.
Morsus non reijciatis.
Ne scalpatis caueatis.
Modicum sed crebro bibatis.
Gratias Deo referatis.
Priuetur mensa, qui spreuerit hęc documenta.

De Religiosis. *Cap. III.*

NOtandum est, quòd religio nihil aliud est, quàm status hominum perfectorum sub certis regulis, & mandatis Deo famulan-

mulantium. Et dicitur Religio à religo religas, quia scilicet illi, qui in Baptismo ad fidei cognitionem obligantur, & ligantur: in Religione ad morum perfectionem voluntariè astringuntur: & per certa vincula votorum ibidem fortius religantur. Et breuiter Religio debet esse in mundo sicut turris fortior, & altior in castro. Quia sicut illi qui in ciuitate, vel in castro tuti non sunt, ad turrim pro securitate refugiunt; sic infirmi, qui in mundo à Diabolo timent capi ad turrim Religionis accedunt. Ibi enim à longè concursus hostium speculantur, ibi tutius viuitur, & ibi securius habitatur. Ista est enim sicut turris libani, quæ respicit contra Damascum, mille Clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Breuiter igitur nos possumus notare, & dicere, quòd status talis est tanquam securior eligendus propter multas laudabiles virtutes, quæ ibidem esse noscuntur. Et istæ procul dubio sunt, scilicet Virtus Castitatis, Paupertatis Humilitatis, Communitatis, Taciturnitatis, Habitus vilitatis.

Ista sunt enim quædam spiritualia ligamina, quibus homo ligatus Religiosus efficitur.

Castitas enim ligat luxuriam.

Paupertas auaritiam.

Obe-

Obedientia, & humilitas superbiam.
Communitas inuidiam.
Parcitas gulæ, immunditiam.
Charitas iracundiam.
Taciturnitas oris, insolentiam.
Operositas accidiam.
Habitus vilitatis inanem gloriam.

Ista sunt ligamina quibus religauerunt sancti patres pueros, & subditos suos in cunabulo Ecclesiæ, vel Religionis, ne scilicet per vitia defluerent, sed vt intra disciplinæ limites persisterent, & manerent.

De bonis Religiosorum. Cap. III.

AVdiant seculares quos delectatio retinet temporalium, qui Religionis abhorrent habitu, quàm suauis sit verè Religionis cohabitatio.

Audiant pauperes, & lætentur.
Mediocres, & alios hortentur.
Diuites confortentur.
Abundans est enim Pauperi Religio.
Mediocri sufficiens.
Diuiti tolerabilis.
Infirmis larga.
Delicatis compatiens.

Fortioribus moderata.
Pœnitentibus misericors.
Peruersis seuera.
Bonis optima. Hæc Vgo de Sancto Victore in libro primo de claustro animæ.
Item dico illud, quòd inquit Diuus Bernardus super verbum Euangelij, Bonum est nos hic esse. Scilicet, inquit in statu Religionis. quare?
Quia homo viuit purius.
Cadit rarius.
Surgit velotius.
Incedit cautius.
Quiescit securius.
Irroratur frequentius.
Purgatur citius.
Moritur confidentius.
Psal: Premiatur copiosius. Vnde Psal. Ecce quàm bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum.

De ordinibus Clericorum, & Religiosorum, de prima tonsura. Cap. V.

IN omni enim transitu à statu, in statum conuenienter interponitur alia dispositio media, vt in transitu à statu Laicorum, ad statum ministrorum Ecclesiæ prima tonsura in-

interponitur, & fit corona, circulariter ad modum coronæ. Fit in tonſura, ſeu corona raſio capillorum, ad denotandum, quòd qui vult ſeruire Deo, debet renuntiare ſuperfluitatibus terrenorum. Quia Clericus Domini conſtituit ſe hæredem Dei. Ideo dicitur Clericus à Cleros, quod eſt ſors. Raſio fit in ſummitate capitis, ad denotandum, quod Clerici debent habere mentem ad Deum eleuatam, vt reuelata facie gloriam Dei contemplentur. Secundum Magiſtrum Sententiarum in 4. diſtinct. 24. Ex his enim apparet, quod tonſura non ſit ordo, ſed diſpoſitio ad ordines, non neceſsitate, ſed congruitate.

Epiſcopus ſedens cum Mitra imponit ſingulis ordinantibus ad primam Tonſuram ſuperpellicium dicens.

Induat te Dominus nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis.

Omitto preces, orationes, & ceremonias, quia non eſt meum tractare.

Deinde ſedens Epiſcopus cum Mitra annuntiat Clericis qualiter facti ſunt de foro Eccleſiaſtico ſub his ſequentibus verbis.

Filij chariſsimi: animaduertere debetis, quòd hodie de foro Eccleſiæ facti eſtis, & priuilegia clericalia ſortiti eſtis: cauete igi-

tur, ne propter culpas veſtras illa perdatis: & habitu honeſto: boniſq; moribus, ac operibus Deo placere ſtudeatis: quod ipſe vobis agere concedat per Spiritum Sanctum ſuum. Amen.

De minoribus ordinibus. *Cap. VI.*

ORdines minores ſunt quatuor, ſcilicet Oſtiarius.

Lector.

Exorciſta.

Acolytus. Et gradatim vocantur ab Archidiacono: & primo.

Accedant qui ordinandi ſunt ad Officium Oſtiariorum. Et mox Notarius ſingulos nominatim legit:

Deinde Epiſcopus admonet illos dicens.

Filij chariſsimi ſuſcepturi officium Oſtiariorum: videte, quæ in domo Dei agere debeatis: Oſtiarium oportet percutere cymbalum, & campanam: aperire Eccleſiam, & ſacrarium: & librum aperire ei, qui prædicat. Prouidete igitur ne per negligentiam veſtram illarum rerum, quæ intra Eccleſiam ſunt aliquid depereat: certiſq; horis domum Dei aperiatis fidelibus, & ſemper claudatis infidelibus. Studete etiam, vt ſicut materiali-

rialibus clauibus Ecclesiam visibilem aperitis, & clauditis. Sic, & inuisibilem Dei domum corda scilicet fidelium, dictis & exemplis vestris, claudatis Diabolo, & aperiatis Deo: vt diuina verba, quæ audierint, corde retineant, & opere compleant: quod in vobis Dominus perficiat per misericordiā suā.

Deinde Episcopus claues Ecclesiæ tradit illis dicens.

Sic agite quasi reddituri Deo rationem pro his rebus, quæ his clauibus clauduntur.

Post hæc Archidiaconus ducit eos ad ostiū Ecclesiæ, & facit illos claudere, & aperire: tradit etiam eis funem campanarum faciens eos campanas pulsare. Deinde illos reducit ad Episcopum. Et Episcopus, &c. Omitto.

De lectoribus. Cap. VII.

EPiscopus ad Lectores loquitur dicens: Electi fratres charissimi, vt sitis lectores in domo Dei nostri; officium vestrum agnoscite, & implete. Potens est enim Deus, vt augeat vobis gratiam perfectionis æternæ. Lectorem siquidem oportet legere ea, quæ prædicat, & lectiones cantare, & benedicere panē, & omnes fructus nouos. Studere igitur verba Dei, videlicet lectiones sacras distinctè & apertè ad intelligentiam, & edificationem fide-

fidelium absq; omni mendatio falsitatis proferre; ne veritas Diuinarum lectionum in curia vestra ad instructionem audientium corrumpatur. Quod autem ore legitis corde credatis: atq; opere compleatis quatenus auditores vestros, verbo pariter, & exemplo vestro docere positis. Ideoq; dum legitis, in alto loco Ecclesiæ stetis, vt ab omnibus audiamini, & videamini, figurantes positione corporali vos in alto gradu virtutum debere conuersari: quatenus cunctis, à quibus audimini, & videmini cęlestis vitæ formam prębeatis: quod in vobis Deus impleat per gratiam suam.

Deinde tradit Lectionarium dicens, Accipite, & estote verbi Dei relatores: habituri si fideliter, & vtiliter impleueritis officium vestrum. partem cum his qui verbum Dei bene ministrauerunt ab initio.

De Exorcistis. Cap. VIII.

EPiscopus instruit exorcistas dicens: Ordinandi fratres charissimi in officium exorcistarum, debetis noscere quid suscipitis. Exorcistam enim oportet abijcere Dæmones; & dicere populo; vt qui non communicat, det locum, & aquam in ministerio

rio

rio fundere. Accipitis itaque potestatem imponendi manum super Energumenos; & per impositionem vestræ manus gratia Spiritus sancti, & verbis exorcismi pelluntur spiritus immundi à corporibus obsessis. Studete igitur, vt sicut à corporibus aliorum Dæmones expellitis: ita à membris, & corporibus vestris omnem immunditiam, & nequitiam eijciatis ne illis succumbatis: quos ab alijs vestro ministerio effugatis. Discite per officium vestrum vitijs impugnare, ne in moribus vestris aliquid sui iuris inimicus valeat vendicare. Tunc enim rectè in alijs Dæmonibus imperabitis: cum prius in vobis eorum multimodam nequitiam superabitis. Quod vobis Dominus agere concedat per Spiritum sanctum suum.

Postea tradit librum exorcismi dicens: Accipite, & commendate memoriæ: & habete potestatem imponendi manus super Energumenos: siue baptizatos, siue cathecumenos, &c. Omitto cęremonias.

De Acolitis. Cap. VIIII.

EPiscopus instruit Acolitos dicens, suscepturi charissimi Acolitorum officium pensate, quod suscipitis. Acolitum enim opor-

oportet ceroferarium ferre, luminaria Ecclesiæ accendere, vinum, & aquam ad Eucharistiam, seu ad ministerium sanguinis Christi ministrare. Studete igitur susceptum officium digne implere. Non enim Deo placere poteritis: si lucem Deo manibus præferentes, operibus tenebrarum inseruiatis, & per hoc alijs exempla perfidiæ præbeatis; sed sicut veritas dicit. Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui est in Cęlis. Et sicut Apostolus Paulus ait. In medio nationis prauæ, atq; peruersæ positi, lucete sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes, ad Galathas 2. Sint ergo lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, vt filij lucis sitis: abijcite opera tenebrarum, vt induamini arma lucis. Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate. Quę sit vero ista lux, quæ tantopere luceat, Apostolus ipse demonstrans subdit (ad Ephes. 5.) Fructus lucis est, in omni bonitate, iustitia, & veritate. Estote igitur solliciti, in omni iustitia, bonitate, & veritate: vt, & vos, & alios, & Dei Ecclesiam illuminetis. Tunc etenim in Dei sacrificio dignè vinum suggeretis & aquam: si vos ipsi, Deo sacrificium per castam vitam, & bona opera oblati fueri-

ritis. Quod vobis Dominus concedat per misericordiam suam.

Post hæc tradit candelabrum cum candela extincta dicens. Accipite ceroferarium cum cereo, & sciatis vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipatos in nomine Domini. Deinde tradit vrceolum vacuum dicens. Accipite vrceolum, ad suggerendum vinum, & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi, in nomine Domini. Ordinati suggerente Archidiano redeunt ad loca sua.

De Sacris ordinibus. Cap. X.

SAcri, & maiores ordines sunt tres.
Subdiaconatus.
Diaconatus.
Præsbyteratus.

Quæ sufficientia requiratur in Subdiacono, & Diacono dicitur in rubricis Pontificalis. Videlicet, sub his verbis. Literatura in Subdiaconatu, & Diaconatu mediocris sufficit: scilicet, vt saltem sciant bene, & expedite legere, & competenter cantare: dent operam grammaticalibus: sciant ordinare officium, & habeant modum, ac commoditatem illud dicendi

ad

ad quod obligantur. Neq; debent ordinari, nisi videantur, quòd officium commodè dicere possint.

In Sacerdote autem promouendo, sufficiens literatura requiritur. Examinentur etiam de Natalibus: quia illegitimi sine dispensatione Apostolica ad sacros Ordines promoueri non possunt.

De Subdiaconatu, &c.

ARchidiaconus vocat ordinandos gradatim, & primò.

Accedant, qui ordinandi sunt Subdiaconi, & mox Notarius vnumquemq; illorum vocat nominatim, & quilibet vocatus respondit. Adsum.

Et sedens Episcopus cum Mitra admonet eos dicens.

Fratres dilectissimi, ad sacrum Subdiaconatus ordinem promouendi: iterum, atq; iterum considerare debetis attente: quod onus hodie vltro appetitis. Hactenus enim liberi estis: licetq; vobis pro arbitrio ad secularia vota transire: quod si hunc ordinem susceperitis: amplius non licebit à proposito resilire: sed Deo, cui seruire regnare est perpetuo famulari: & castitatem illo adiuuante seruare oportebit: atque in Ecclesiæ mi-

ministerio semper esse mancipatos. Proinde dum tempus est cogitate; & si in sancto proposito perseuerare placet, in nomine Domini. Huc accedite.

Archidiaconus vocat ceteros ordinandos. Accedant qui ordinandi sunt, & Diaconi, & Præsbyteri: quibus accedentibus, Archidiaconus ordinat eos, videlicet Diaconandos paratos, Amictu, Alba, Cingulo, & Manipulo: Stolam in manu sinistra, & Dalmaticam super brachium sinistrum, & candelam in manu dextra tenentes contra cornu Epistolæ altaris, faciebus altari versis.

Et præsbyterandos paratos, Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, stola in modum Diaconi, Casulam, siue Planetam super brachium sinistrum: & panniculum, siue mappulam albam in sinistra, & candelam manu dextra tenentes contra faciem Episcopi, ac medium Altaris, faciebus similiter altari versis: quibus sic ordinatis. Episcopus cum Mitra procumbit, & dicit Litanias. Postea surgit. Cum Mitra, Baculum pastoralem tenens dat benedictionem super ordinandis prostratis manentibus dicens.

℣. Vt obsequium seruitutis nostrę tibi rationabile facias.

℟. Te rogamus audi nos.

℣. Vt nos electos bene ✠ dicere digneris.

℟. Te

℟. Te rogamus audi nos.

℣. Vt hos electos bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare digneris.

℟. Te rogamus audi nos.

℣. Vt hos electos bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, & conse ✠ crare digneris.

℟. Te rogamus audi nos.

℣. Vt nos exaudire digneris.

℟. Te rogamus audi nos.

Deinde.

Archidiaconus dicit alta voce, recedant in parte: qui ordinandi sunt Diaconi, & Præsbyteri.

Postea Episcopus admonet, & instruit Subdiaconos genuflexos dicens; Adepturi fratres charissimi officium Subdiaconatus sedulo attente considerare debetis: quale misterium vobis traditur.

Officium Subdiaconi.

Subdiaconum enim oportet aquam ad ministerium altaris præparare: Diacono ministrare: pallas altaris, & corporalia abluere: Calicem, & patenam in vsum sacrificij eidem offerre.

Oblationes, quæ veniunt in altari panes propositionis vocantur: de ipsis oblationibus tantum debet poni in altari, quantum pol-

possit populo sufficere; ne aliquid putredinis in sacrario remaneat.

Pallæ, quæ sunt in substratorio Altaris in alio vase debent lauari. Et in alio corporales pallæ, vbi autem corporales pallæ lotæ fuerint: Nullum aliud linteamen debet lauari, ipsaq; lotionis aqua in baptisterium debet mergi.

Studete itaque, vt ista visibilia ministeria, quæ diximus nitidè, & diligentissimè complentes inuisibilia horum exemplo perficiatis. Altare quidem Sanctæ Ecclesiæ: Ipse est Christus. (Teste D. Ioanne in Apocalypsi sua 8.) Altare aureum se vidisse perhibet stare ante Tronum Dei in quo, & per quem oblationes fidelium Deo patri consecrantur. Cuius Altaris pallæ, & corporalia sunt membra Christi, scilicet fideles Dei, quibus Dominus quasi vestimentis præciosis circundatur. Vt inquit Dauid in Psalmo 92. Dominus regnauit decorem indutus est.



Beatus quoq; Ioannes in Apocalypsi 1. vidit filium hominis præcinctum zona aurea, idest sanctorum caterua.

Si itaq; humana fragilitate continget in aliquo fideles macula, præbenda est à nobis aqua cœlestis Doctrinæ, qua purificati ad ornamentum Altaris, & cultum Domini

ſacrificij redeant. Eſtote ergo tales, qui ſacrificijs Diuinis, & Eccleſiæ Dei, hoc eſt corpori Chriſti dignè ſeruire valeatis, in vera, & Catholica fide fundati: Quoniam, vt ait Apoſtolus ad Romanos 14. Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt; Schiſmaticum eſt, & extra vnitatem Eccleſiæ eſt.

Et ideo ſi vſq; nunc fuiſtis tardi ad Eccleſiam: amodo debetis eſſe aſſidui.

Si vſq; nunc fuiſtis ſomnolenti, amodo vigiles.

Si vſq; nunc ebrioſi: amodo ſobrij.

Si vſq; nunc inhoneſti: amodo caſti: quod ipſe vobis præſtare dignetur, qui viuit, & regnat Deus in ſecula ſeculorum.

Deinde Epiſcopus de manu miniſtri accipit, & tradit cuilibet ſucceſſiue Calicem uacuum cum patena ſuperpoſita.

Et Archidiaconus Vrceolos cum vino, & acqua: ac bacile cum manutergio; quę omnia Singulatim ordinandi manibus tangunt: Primo Calicem, deinde alia: Et iterum vt prius genuflectunt. Quo facto Epiſcopus dicit: Videte cuiuſmodi miniſterium vobis traditur. Ideo vos admoneo; vt ita vos exhibeatis, quòd Deo placere poſsitis; Deinde dicit orationes ad ordinandos, & ad populum. Poſtea accepta Mitra ſedens: Amictum, qui in collo ordinandorum iacet imponit ſuper

caput

caput singulis dicens: Accipe amictum per quem designatur castigatio vocis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen.

Tum immittit in sinistro brachio Manipulum cuilibet dicens.

Accipe Manipulum per quem designantur fructus bonorum operum In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen.

Post hęc induit quemlibet tunica: dicens, Inducat te Dominus vestimento salutis, & tunica iustitiæ. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen.

Postea tradit librum Epistolarum singulis dicens.

Accipite librum Epistolarum, & habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro viuis, quam pro defunctis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Postea vnus de ordinatis tunica indutus dicit Epistolam, suo tempore.

De Diaconibus.

Diaconi vocantur.

Accedant qui ordinandi sunt ad Diaconatum.

Tum Archidiaconus offerens illos Episcopo dicit: Reuerende pater, postulat San-

cta Mater Ecclesia Catholica; vt hos præsentes subdiaconos, ad onus Diaconij ordinetis.

Tunc Episcopus interrogat Archidiaconũ dicens, scis illos dignos esse?

Respondit Archidiaconus, quantum humana fragilitas nosce sunt, & scio, & testificor ipsos dignos esse ad huius onus officij.

Et Episcopus dicit, Deo gratias. Et ad eorum ordinationem procedit. In primis sedens cum Mitra Clero annuntiat dicens; Auxiliante Domino Deo Saluatore nostro Iesu Christo, elegimus hos præsentes subdiaconos ad ordinem Diaconij. Si quis habet aliquid contra illos: pro Deo, & propter Deum, cum fiducia exeat, & dicat; Verumtamen memor sit conditionis suæ. Et facta aliquandiu mora prosequitur.

Prouehendi dilectissimi filij ad Leuiticum ordinem: cogitate magnopere, ad quantum gradum Ecclesiæ ascenditis.

Officium Diaconi.

Diaconum enim oportet ministrare ad Altare, baptizare, & prædicare. Sane in veteri lege, (Numeri 3.) ex duodecim tribubus

Tribus leui electa est. Quæ speciali deuotione tabernaculo Dei, eiusque sacrificijs ritu perpetuo deseruiret, tantaq; dignitas ipsi concessa est, quòd nullus, nisi ex eius stirpe ad Diuinum illum cultum, atque officium ministraturus assurgeret: adeo, vt grandi quodam priuilegio hæreditatis, & tribus Domini esse mereretur, & dici. Quorum hodie charissimi filij, & nomen, & officium tenetis.

Diaconi tenent locum Leuitarum.

Quia in ministerium Tabernaculi testimonij, idest Ecclesiæ Dei, eligimini in Leuitico officio, quæ semper in procintu posita, incessabili pugna contra inimicos dimicat. Vnde D. Paulus Apostolus, inquit ad Ephesios 6. Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem; sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ tela in Cælestibus. Ephes. 6

Quam Ecclesiam Dei veluti Tabernaculum portare, & munire debetis.

Ornatu sancto.

Prædicatu Diuino.

Exemplo perfecto.

Leui quippe interpretatur additus, siue

assumptus. Et vos filij, qui ab hæreditate paterna nomen accipitis, Estote assumpti à carnalibus desiderijs, à terrenis concupiscentijs, quæ militant aduersus animam.

Estote nitidi, mundi, puri, casti: sicut decet ministros Christi: & dispensatores misteriorum Dei: Vt digne addamini ad numerum Ecclesiastici gradus: vt hæreditas & tribus amabilis Domini esse mercamini. Et quia comministri, & cooperatores estis corporis, & sanguinis Domini: Estote ab omni illezebra carnis alieni: Sicut inquit Scriptura Isaiæ 52. Mundamini, qui fertis vasa Domini. Cogitate beatum Stephanum, merito præcipuè castitatis, ab Apostolis ad officium istud electum. Act. 7. Curate vt quibus Euangelium ore annunciatis, viuis operibus exponatis, vt de vobis dicatur: Beati pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona: Habete pedes vestros calciatos Sanctorum exemplis in preparatione Euangelij pacis. Quod vobis Dominus concedat per gratiam suam.

Sequitur.

Episcopus sedens cum Mitra alloquitur populum dicens. Commune votum, communis oratio prosequatur: Vt hi qui totius Ecclesiæ prece ad Diaconatus ministerium præparantur: Leuiticæ benedictionis ordine

cla-

clarescant: & spirituali conuersatione præfulgentes: gratia sanctificationis elucescant. Prçstante Domino nostro Iesu Christo. Qui cum Patre, & Spiritusancto viuit, & regnat Deus in secula seculorum.

Deinde Episcopus surgens cum Mitra stás versus ad ordinandos: dicit alta voce legendo prçces.

Oremus dilectissimi Deum patrem omnipotentem, &c. Omitto.

Postea manum dextram extendens: ponit super caput cuilibet ordinando dicens; Accipe Spiritum sanctum: ad robur, & ad resistendum Diabolo, & tentationibus eius. In nomine Domini. Postea prosequitur orationem prçfationis tenens extensam manũ dexteram vsq; in finem.

Deinde sedens cum Mitra cuilibet ordinando ante se genuflexo, stolam, quam singuli in manu habent imponit successiuè super humerum sinistrum, dicens singulis.

Accipe stolam ✠ candidam de manu Dei: imple ministerium tuum: potens est enim Deus, vt augeat tibi gratiam suam. Qui viuit, & regnat in secula seculorum. Faciens super quemlibet eorum signum ✠ Crucis. Et ministri reflectunt capita stolæ, & alligant sub brachio dextro.

Postea Episcopus accipiens Dalmaticam

induit ea quemlibet successiuè dicens cuilibet.

Induat te Dominus vestimento salutis, & circumdet te semper indumento letitiæ. In nomine Domini.

Postremo Episcopus tenens librum Euangeliorum, tradit illum communiter omnibus coram se genuflexis, & manu dextra simul ipsum tangentibus dicens,

Accipite potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei, tam pro viuis, quàm pro defunctis. In nomine Domini.

Quo facto Episcopus dicit orationem, & vertens se ad ordinandos dat eis benedictionem.

Deinde aliquis de ordinatis nouiter cum tempus est; Dalmatica indutus dicit Euangelium. Et omnes redeunt ad loca sua.

De Presbyteris, seu Sacerdotibus.

Præsbyteri vocantur.

Accedant qui ordinandi sunt ad ordinem præsbyteratus. Et mox nominatim leguntur per Notarium. &c. Deinde illi more Diaconorum parati: Amictu, Alba, Cingulo, Ma-

Manipulo, & stola: tenentes planetas super brachia complicatas, & in manibus candelas, ac mappulas albas pro ligandis manibus, ad ordinatorem accedunt, & coram eo in modum coronæ se disponunt, &c.

Deinde Archidiaconus præsentat eos Episcopo dicens. Reuerende Pater, postulat sancta Mater Ecclesia Catholica; vt hos presentes Diaconos ad onus præsbyterij ordinetis.

Et Episcopus interrogat Archidiaconum dicens, Scis illos esse dignos?

Respondit Archidiaconus, quantum humana fragilitas nosce finit, & scio, & testificor ipsos dignos esse ad huius onus officij.

Tunc Episcopus dicit, Deo gratias

Et iuxta statutum Carthaginensis Concilij annunciat clero, & populo, si quis habet aliquid contra ordinandos dicens, Quoniam dilectissimi fratres: Rectori nauis, & nauigio deferendis eadem est, vel securitas ratio, vel communis timoris: par eorum debet esse sententia; quorum causa communis extitit, neq; enim fuit frustra à patribus institutum, vt de electione illorum, qui ad regimen Altaris adhibendi sunt consulatur etiam populus: quia de vita, & conuersatione presentandi; quod nonnunquam ignoratur à pluribus; scitur à paucis: & necesse

est,

eit, & facilius ei, quis obedientiam exhibeat ordinato: cui assensum præbuerit ordinando. Horum siquidem Diaconorum in presbyteros (auxiliante Domino) ordinandorum conuersatio (quantum mihi videtur) probata, & Deo placita existit: & digna (vt arbitror) Ecclesiastici honoris augmento. Sed ne vnum fortasse, vel paucos, aut decipiat assensio, vel fallat affectio. Sententia est expetenda multorum. Itaq; quid de eorum actibus, aut moribus noueritis; quid de merito sentiatis, libera voce pandatis. Et his, testimonium Sacerdotij magis pro merito, quàm affectione aliqua tribuatis. Si quis igitur habet aliquid contra illos, pro Deo, & propter Deum cum fiducia exeat, & dicat, veruntamen memor sit conditionis suæ.

Postea Episcopus facta aliquandiu mora conuertens sermonem suum ad ordinandos instruit, & admonet eos dicens.

Considerate fratres charissimi in præsbyteratus officium, illud dignè suscipere, atque susceptum laudabiliter exequi studeatis.

Officium Sacerdotis.

Sacerdotem enim oportet offerre, bene-

dice-

dicere, præesse, prædicare, & baptizare.

Cum magno quippe timore ad tantum gradum ascendendum est, atque prouidendum, vt cęlestis sapientia probi mores, & diuturna iustitiæ obseruatio, ad id electos commendent. Vnde Dominus præcipiens Moysi, septuaginta viros de vniuerso Israel in adiutorium suum eligeret, quibus spiritus sancti dona diuideret, sugge sit, quos tu nosti, qui senes populi sunt Num 7. Vos igitur in septuaginta viris, & senibus signati estis, si per spiritum septiformem decalogum legis custodientes; probi, & maturi in scientia similiter, & opere eritis, sub eodem quoq; mysterio, & eadem figura in nouo testamento Dominus septuagintaduos elegit, atque binos ante se in prædicatione misit, vt doceret verbo simul, & facto; ministros Ecclesiæ suæ, fide, & opere debere esse perfectos, seu geminæ dilectionis, Dei scilicet, & proximi virtute fundatos. Tales itaq; esse studeatis, vt in adiutorium Moysi, & duodecim Apostolorum, Episcoporum videlicet Catholicorum, qui per Moysem, & Apostolos figurantur, digne per gratiam Dei eligi valeatis. Hac certe mira varietate. Ecclesia sancta circundatur, ornatur, & regitur. Cum alij in ea Pontifices, alij minores ordinis Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi Num. 7

coni, diuersórum ordinum viri consecrantur: & ex multis, & alternę dignitatis membris vnum corpus Christi efficitur.

Itaque dilectissimi fratres: quos ad nostrum adiutorium: fratrum nostrorum arbitrum consecrandos elegit; seruate in moribus vestris castę, & sanctę vitę, integritatem, agnoscite quod agitis, imitamini quod tractatis, quatenus mortis Dominicę mysterium celebrantes, mortificare membra vestra à vitijs, & concupiscentijs omnibus procuretis. Sit Doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei. Sit odor vitæ vestrę, delectamentum Ecclesię Christi: Vt prędicatione, atque exempla ędificetis domum, idest familiam Dei: Quatenus nec vos de tanti officij susceptione damnari à Domino, neque nos de vestra prouectione, sed remunerari potius mereamur. Quod ipse nobis concedat per gratiam suā. Amen.

Post hæc supra dicta, Episcopus stans cum Mitra, imponit simul vtranque manum super caput cuiuslibet ordinandi; idemque faciunt post eum Sacerdotes ibidem prę sentes successiuè.

Quo facto tam Episcopus, quàm Sacerdotes tenent manus dexteras extensas super illos.

Et

Et Episcopus stans cum Mitra dicit alta voce orationes, & preces ad Deum.

Postea reflectit orarium, siue stolam ab humero sinistro cuiuslibet, capiens partem, quæ retro pendet, & imponens super dextrū humerum: aptat eam ante pectus in modum crucis singulis dicens.

Accipe iugum Domini, iugum enim eius suaue est, & onus eius leue.

Postea imponit cuilibet successiuè casulam vsque ad scapulas, quam quilibet teneat super humeros complicatam: à parte anteriori deorsum dependentem singulis dicens.

Accipe vestem sacerdotalem, per quam charitas intelligitur. Potens est enim Dominus augere tibi charitatem, & opus perfectum.

℞. Deo gratias.

Deinde Episcopus stans sine Mitra dicit.

Deus sanctificationum omnium auctor, cuius vera consecratio, plenaq; benedictio est. Tu Domine super hos famulos tuos, quos presbyterij honore dedicamus: Munus tuæ Benedictionis infunde, vt grauitate actuum & censura viuendi probent se esse seniores, his institutis disciplinis, quas Tito,

& Timotheo D. Paulus exposuit. prima ad
1. ad Thessal. Thesalon. 3. & ad Titum 1. Vt in lege tua die, ac nocte: omniq; tempore meditantes: quod legerint credant, quod crediderint doceant, quod docuerint imitentur.

Iustitiam.

Constantiam.

Misericordiam.

Fortitudinem. Cæterasq; virtutes in se ostendant, exemplo præbeant, admonitione confirment, ac purum, & immaculatum ministerij sui donum custodiant; & obsequium plebis tuæ panem, & vinum in corpus, & sanguinem filij tui immaculata benedictione transforment, & inuiolabili charitate, in virum perfectum, & in mensuram ætatis plenitudinis Christi: in die iusti, & æterni iudicij, conscientia pura, fide plena, Spiritusancto pleni persoluant. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate eiusdem Spiritus sancti Deus; per omnia secula seculorum. Amen.

Deinde genibus flexis incipit competenti voce: schola prosequente Hymnum. Veni creator Spiritus, mentes tuorum visita; Imple superna gratia, &c.

Et postea sedet Episcopus in Faldistorio cum Mitra, & ponitur ei gremium, siue map-

mappula super gremium; & singuli ordinandi successiue coram eo genuflectunt; & Episcopus cum oleo Cathecumenorum vngit vnicuiq; ambas manus simul iunctas, in modum Crucis, producendo cum pollice suo dextro in dictum oleum intincto, duas lineas, videlicet à pollice dextræ manus vsq; ad indicem sinistrum, & à pollice sinistro, vsq; ad indicem dextrum; yngendo mox totaliter palmas, dicens dum quemlibet iniungit.

Consecrare, & sanctificare digneris Domine manus istas per istam vnctionem: & nostram bene ✠ dictionem, vt quæcunque benedixerint benedicentur, & quæcunque consecrauerint, consecrentur, & sanctificentur in nomine Domini nostri Iesu Christi. Ordinandi dicunt, Amen.

Tum Episcopus claudit, seu iungit manus cuilibet successiuè; quas sic consecratas aliquis ministrorum pontificis albo panniculo lineo simul, videlicet dexteram super sinistram alligat: & mox vnusquisq; ad ordinem suum redit: & sic clausas, & alligatas manus tenet. Omnium manibus vnctis, & consecratis. Episcopus manus lauat, & tergit. Tum tradit cuilibet successiuè Calicem cum vino, aqua, & patenam cum hostia superpositam; & ipsi illam accipiunt inter indi-

dices, & medios digitos; ac cupam calicis, & patenam simul tangunt: Episcopo singulis dicente: Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasq; celebrare, tam pro viuis, quam pro defunctis, in nomine Domini.

In hoc actu imprimitur character.

His peractis Episcopus lauat manus cum medula panis, & aqua lotionis huiusmodi proijcitur in sacrarium.

Deinde sequitur ordinarium Missæ.

Interim vnus ex Diaconis nouiter ordinatus accedit ad Altare cum textu Euangelij ante pectus: dicit Munda cor meum, &c.

Et cantat Euangelium.

Deinde interim, quòd offertorium cantatur, vel etiam prius ordinati Sacerdotes possunt lauare manus suas, cum medula panis, & aqua bene mundare, ac extergere mappulis illis, quibus ligatæ erant, & aqua ablutionis huiusmodi proijciatur in sacrarium. Episcopus vero lecto offertorio, accepta Mitra vadit ad Faldistorium ante medium Altaris, & ibi sedens accipit offertorium ab omnibus ordinatis, qui omnes accedunt bini & bini ad Episcopum, coram quo genuflexi offerunt illi singulos cereos, siue singulas candelas accensas, & osculantur eius manum.

Primo præsbyteri. Tum Diaconi succesſiuè. Tum Subdiaconi, & alij ſuo ordine.

Accepto ſingulorum Offertorio, Epiſcopus lauat manus: & ſurgit, ac tollitur Faldiſtorium, & Mitra, & proſequitur Miſſam.

Præsbyteri vero ordinati retro Epiſcopum, vel hinc, & inde vbi magis commodum erit: in terra genuflexi habeant libros coram ſe, & dicant ſecrete.

Suſcipe ſancte pater omnipotens, &c. Et omnia alia de Miſſa, pro vt dicit Epiſcopus.

Cum Epiſcopus dixerit orationem.

Domine Ieſu Chriſte, qui dixiſti Apoſtolis tuis, &c. Oſculatur Altare: & dat primo ex ſingulis ordinatis cuiuslibet ordinis ad eum ſucceſſiuè accedenti: & altare prius ad dexteram Epiſcopi deoſculanti pacem dicens: Pax tecum. Cui ille reſpondet. Et cum ſpiritu tuo.

Et quilibet illorum dat ſequenti ſui ordinis ſecum ordinato: & ille Alteri, & ſic vſq; ad vltimum continuatur.

Poſtquam verò ſe communicauerit Epiſcopus, & totum ſanguinem ſumpſerit: priuſquam digitos abluat accedunt ante Altare omnes ad ſacros ordines promoti: primò

Præsbyteri, deinde Diaconi, tandem Subdiaconi, & communicantur. Omnibus communicatis Episcopus lotis manibus sine Mitra inchoat in cantu: schola prosequente Responsorium.

℟. Iam non dicam vos seruos, sed amicos meos, quia omnia cognouistis, quæ operatus sum in medio vestri, halleluiah.

Accipite Spiritum sanctum in vobis paraclitum. Ille est quem pater mittet vobis, halleluiah.

℣. Vos amici mei estis si feceritis, quæ ego præcipio vobis.

Accipite Spiritum sanctum in vobis paraclitum.

Gloria Patri, & Filio, & Spirituisancto.

Ille est quem pater mittet vobis halleluiah.

Professio Sacerdotum. *Cap. XI.*

INcepto Responsorio Episcopus accepta Mitra vertit se ad ordinatos, qui ante Altare coram ipso stantes simul profitentur fidem quam prædicaturi sunt dicentes. Symbolum Apostolorum, videlicet. Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cæli, & terræ, &c.

Quo

Quo finito Episcopus cum Mitra sedens imponit ambas manus super capita singulorum coram eo genuflectentium dicens cuilibet.

Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.

Deinde explicans casulam, quam vnusquisq; habet super humeros complicatam: induit illa quemlibet, singulis dicens.

Stola innocentiæ, induat te Dominus. Et mox vnusquisq; iterum ad Episcopum si suus est Diocesanus, seu Ordinarius accedit, & genuflexus ponit manus suas iunctas inter manus Episcopi dicentis cuilibet.

Promittis mihi, & successoribus meis: Reuerentiam, & Obedientiam. Et ille respon det. Promitto. Si vero Episcopus non est suus ordinarius, dicit singulis, cum manus inter suas tenet, vt præfertur.

Promittis Episcopo, ordinario tuo pro tempore existenti: Reuerentiam, & Obedientiam? Et ille respondet. Promitto.

Et sic omnes profitentur.

Tunc Episcopus tenens manus illius inter suas, osculatur vnumquemq; dicens. Pax Domini sit semper tecum. Et ille, Respondet. Amen.

His expletis, & omnibus ad ordinem suũ

reuersis. Episcopus sedens cum Mitra dicit ad eos. Quia res quam tractaturi estis: satis periculosa est fratres charissimi. Moneo vos diligenter, vt honeste totius Missę ordinem, & Hostiæ consecrationem, & fractionem, atq; communionem, ab alijs iam doctis Sacerdotibus discatis priusquam ad celebrandum Missam accedatis.

Post hæc Episcopus deposita Mitra surgit, & conuertitur ad Altare prosequitur Missam, cum post communionē Missæ Diei. &c. Deinde.

Benedicamus Domino, vel, Ite Missa est. prout tempus requirit.

Et per Episcopum dicitur.

Placeat tibi sancta Trinitas obsequiū, &c.

Quo dicto Episcopus accepta Mitra, & Baculo pastorali, vertit se ad ordinatos, & stans hortatur eos communiter ad bene viuendum, quodq; diligenter considerent qualem ordinem susceperunt, & quod orent pro eo, & alijs quos voluerit, iniungens eis Missas. Et alia quæ viderit expedire, vel, vt ostenditur in pontificali Romano; quod illi deuotè suscipiunt, & respondent se facturos.

Postremo benedicit eis genuflectentibus, versus ad illos dicens, voce competenti.

Benedictio Dei patris omnipotentis: Patris

tris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ✠ sancti: descendat super vos, vt sitis benedicti in ordine Sacerdotali: & offeratis placabiles hostias pro peccatis, atq; offensionibus populi, omnipotenti Deo: Cui est honor, & gloria in secula seculorum. Amen.

Deinde Episcopus vertit se ad Altare, & submissa voce dicit.

Dominus vobiscum, & Euangelium secundum Ioannem. scilicet. In principio erat verbum, &c. Et signat se, & Altare. Et postea exuitur sacris vestibus, & abijt.

Ordinati etiam ad præsbyteratum dicunt idem Euangelium & in locis conuenientibus sacras vestes deponunt. Et cum eis alij ordinati. Et redeunt ad loca sua.

Clerici Regulares, videlicet Monachi, & alij Religiosi claustrales eodem modo suscipiunt sacros ordines ab Episcopo, & profitentur Reuerentiam, & Obedientiam, vt faciunt Clerici seculares. Et amplius in Monasterio promittunt superioribus suis regularibus, & profitentur in manibus eorum. Paupertatem, & Castitatem; & sic sunt religati, Et vocantur Religiosi.

De Reuerentia, & Obedientia. Cap. XII.

HOnora patrem tuum, & matrem tuam (præceptum est in Exodo 20.) Huic pręcepto additur promissio, scilicet, vt sis longeuus super terram. Quia iustum est, vt conseruatio vitæ alienæ mereatur conseruationem vitæ propriæ.

Pater intelligitur in hoc mandato, qui est principium per generationem quo ad esse naturæ, vt pater carnalis.

Vel qui est principium per mynisterium regenerationis quo ad esse gratiæ, vt pater spiritualis. Vel alio modo sumitur etiam pater, non secundum rationem propriam, sed communem, pro sene, qui dicitur pater ætate. Vel sumitur pro Rege, qui dicitur pater defensione.

Honor intelligitur dupliciter, hic, scilicet exhibitio corporalis in sustentatione, & exhibitio spiritualis in Reuerentia, & Obedientia.

Sed obedientia diuersificatur secundum diuersitatem patrum. Quia patri spirituali scilicet, prælato, vel curato, debemus obedire in spiritualibus.

Patri seculari, scilicet Regi debemus obedire in temporalibus Reipublicæ.

Patri

Patri vero carnali debemus obedire in diſpoſitione rei familiaris.

Exemplum.

Scriptum eſt in Deuteronomio 21. quòd ſi genuerit homo filium contumacem, & proteruum, qui non audierit patris, & matris imperium, & coercitus obedire contempſerit; (appræhendent eum, & ducent ad ſeniores ciuitatis illius, & ad portam iudicij) dicentq; ad eos: Filius noſter iſte proteruus, & contumax eſt, monita noſtra audire contemnit, comeſſationibus vacat, & luxuriæ, atq; conuitijs, lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur, vt auferatis malum de medio veſtri, & vniuerſus Iſrael audiens pertimeſcat.

Adhuc dico de obedientia, ſcilicet in Domino, & in his, quæ ille poteſt mihi præcipere. Nam ſi pater quocunq; modo ſumptus præcipiat contra Dominum Deum, vel extra iuriſdictionem ſuam, vel extra authoritatem ſuam, ego non ſum obligatus obedire ei, immo in primo caſu, quando contra Dominum Deum mandat non debeo obedire illi. Quia oportet magis obedire Deo, quàm hominibus. Act. 5. Alias, obedientia in dubijs excuſat. D. Thomas 2. 2. quæſt. 104.

Ad illud autem, quòd dicit Apoſtolus ad Coloſ. 3. Filij, obedite parentibus per omnia.

Et postea subdit: serui, obedite per omnia Dominis carnalibus. Ergo eadem ratione subditi debent prælatis suis in omnibus obedire. Illud q; dicit Apostolus intelligendum per omnia, quantum ad illa quæ pertinent ad ius patriæ, vel dominatiuæ potestatis.

Subditi autem non subijciuntur suis superioribus quantum ad omnia, sed quantum ad aliqua determinate, & quantum ad illa, q; medij sunt inter Deum, & subditos. Quantum ad alia verò immediate subduntur Deo, à quo instruuntur per legem naturalem, vel scriptam.

Religiosi obedientiam profitentur quantum ad regularem conuersationem, secundũ quam suis prælatis subduntur, & ideo quantum ad illa sola obedire tenentur, quæ possunt ad regularem conuersationem pertinere. Et hæc est obedientia sufficiens ad salutem. Si autem etiam in alijs obedire voluerint, hoc pertinebit ad cumulum perfectionis, dum tamen illa non sint contra Deum, aut contra professionem regulæ, quia talis obedientia esset illicita. Sic ergo patet triplex obedientia distingui, vna sufficiens ad salutem, quæ scilicet obedit in his, ad quæ obligatur: alia perfecta quæ obedit in omnibus licitis: alia indiscreta, quæ etiam in illicitis obedit. D. Thom. 2. 2. quæst. 104.

Tho. 2. 2. quæst. 104.

Me-

Melius est obedire, quàm sacrificare, quia in sacrificio immolatur aliena caro, per obedientiam autem propria voluntas. Vt dicit D. Gregorius. Specialiter tamen in casu, in quo loquebatur Samuel, melius fuisset Sauli obedire Deo, quàm animalia pinguia Amalecitarum in sacrificium offerre contra Dei mandatum. Greg.

De paupertate. Cap. XIII.

BEati pauperes spiritu, quoniam ipsorũ est regnum Cœlorum, dicit Dominus in Euangelium secundum Matthęum 5. Vnde D. Chrysostomus in Homilia super dictum Euangelium dicit: Ideo autem hic Dominus incipit radicitus euellens superbiam: quia hæc fuit radix, & fons malitiæ vniuersæ contra quam ponit humilitatem, velut quoddam stabile fundamentum, qua subiecta cum stabilitate, alia superedificantur bona: hac autem destructa pereunt quæcunque congregaueris bona. Nam sicut cætera vitia (dicit idem Sanctus Chrysostomus) deponunt ad inferos, maximè tamen superbia. Sic, & omnes virtutes inducunt

in Regnum Cœlorum, maximè tamen Humilitas. Quia proprium eſt, vt qui ſe humiliat exaltetur.

Vel vt dicit D. Hieronymus. Beati pauperes ſpiritu, qui ſcilicet propter Spiritum ſanctum voluntariè ſunt pauperes.

Pauperes ſpiritu, ponitur hic, inquit ſumma Theologicæ veritatis, pro abſtinentia ab amore mundi, ideſt ab amore carnalium voluptatum, & delitiarum huius mundi, ac propriæ excellentiæ. Hæc tria complectitur amor mundi.

Et D Gregorius ſuper Matthęum inquit. Pauperes ſpiritu ſunt humiles Deum timentes. Et ſuper Euangelium ſancti Lucę: Pauperes ſpiritu dicuntur; qui non quærunt illecebroſa. Ideo dixit Dominus manifeſtè: Beati humiles ſpiritu, vt ſic humiles oſtendat, vt ſemper per adiutorium Dei ſint mendicantes. Vnde in Greco dicitur: Beati mendici, vel Egeni. Et ipſe Chriſtus docet nos humilitatem in oratione Dominica monens, vt petamus panem quotidianum, non annualem, vel pro vno menſe, ſed pro ſingulo die, vt cognoſcamus noſmetipſos ſemper pauperes, & mendicos. Et vt ſimus humiles. Ideoq; dicit Dominus; Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.

Vulgo etiam magnos ſpiritus ſuperbi habere

bere dicuntur, inquit D. Augustinus in Homilia super Euangelium omnium Sanctorũ, & rectè; quia quandoquidem spiritus etiam ventus vocatur. Vnde scriptum est, ignis, grando, nix, glacies spiritus procellarum. Quis verò nesciat, superbos inflatos dici, tanquam vento distentos? Vnde est etiam illud Apostoli. Scientia inflat: charitas verò ædificat. Quapropter rectè hic intelliguntur pauperes spiritu humiles, & timentes Deum, idest, non habentes inflantem spiritum.

Alias dicit Glosa, idest, quòd pauperes sunt, qui nihil habent, & omnia possident. Idest contentantur de paupertate sua, seu de eo, quòd pauperes sunt. Sicut enim hi, qui actualiter (si daretur) omnia temporalia possident, contentantur, gaudentq; de possessione illa.

Ita veri pauperes spiritu (vere Heroyci viri) & contentantur, & gaudent de paupertate sua, non minus, quàm illi de possessione sua premissa. Immo isti Euangelici pauperes, magis de paupertate sua gaudent; quàm illi de diuitijs suis omnibus. Et de hoc habemus exempla multorum sanctorum Patrum. Videlicet, Antonij, Pauli primi Eremitæ, Benedicti, Bernardi, Hilarionis, Hieronymi, Augustini, Dominici, Francisci, Bernardini,

& similium.

Caueamus tamen hic ab hæresi damnata Fraticellorum, qui (nimium paupertati tribuentes) dixerunt Christum cum Apostolis nil in proprio, nec in communi habuisse, quia fuerunt perfecti pauperes, & hanc esse perfectam Euangelicam paupertatem non habere aliquid in proprio, nec in communi, & habere quicquam in communi diminuere perfectionem Euangelicæ paupertatis. Hæc est hæresis damnata. Vide si vis Etrauagantes (D. Io. 22. de verborum significatione, c. 4. & 5.) Cum inter quia quorundam.

Est autem questus magnus, pietas cum sufficientia, inquit D. Paulus Apostolus ad Timotheum 6. Nihil (inquit ille) intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua: quæ mergunt homines in interitum, & perditionem: Radix enim omnium malorum est cupiditas. Sicut Radix omnium bonorum est humilitas, vt supra dictum est.

ad Thimo. 6.

De Castitate. Cap. XIIII.

CAstitas est virtus impetum carnis sub iugo rationis refrenans: ideo videtur, ꝙ ista virtus omnino sit necessaria. Caro .n. (quæ semper concupiscit aduersus spiritum) animam, & mentem per mala desideria combureret, nisi eam per virtutem castitatis ratio coercet. Hæc D. Augustinus in libro de diffinitione.

Item idem dicit, castitas est ad instar odoriferi Balsami, quo condita cadauera incorrupta seruantur. Tales enim decet Dominum habere ministros: qui nullo carnis contagio corrumpantur, sed potius continentia castitatis splendeant, & conseruentur.

Castitas sine charitate est, vt lampas sine oleo (inquit D Bernardus) tolle oleum lampas non lucet: tolle charitatem, castitas non placet.

De Charitate. Cap. XV.

CHaritas est dilectio Dei, & proximi in toto corde, & in tota mente, vt quæcunque volumus, vt faciant nobis homines, ita & nos faciamus illis. Hæc est enim

Lex,

Lex, ait D. Greg. Et D. Isidorus inquit. Omnis enim bonitas ex charitate, & humilitate procedit. Qui non habet charitatem nihil habet, inquit D. Paulus.

Diligamus inuicem, quia charitas ex Deo est, (inquit D. Ioannes in Epistola Canonica 4.) Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non diligit, non nouit Deum, quoniam Deus charitas est.

Idem post pauca subdit. Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est. In hoc cognoscimus, quòd in eo manemus, & ipse in nobis, &c.

Duo autem sunt, quæ iubentur, (inquit D. Gregorius super Euangelium D. Lucæ 12.) Et lumbos restringere, & lucernas tenere, vt, & munditia sit castitatis in corpore, & lumen veritatis in operatione. Redemptori etenim nostro vnum, sine altero placere nequaquam potest: si aut is, qui bona agit, adhuc luxuriç inquinamenta non deserit, aut is, qui castitate prçeminet nec dum se per bona opera exercet. Nec castitas ergo magna est sine bono opere: Nec bonũ opus, est, aliquid sine castitate: sed si vtrunq; agitur: restat vt quisquis ille est, spe ad supernam patriam tendat. Nec dubium (dicebat D. Isido.) ꝙ qui casti perseuerant, & virgines: Angeli Dei efficiuntur ęquales. i. similes.

De

De dignitate Sacerdotum, secundum D. Augustinum. Cap. XVI.

O Veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus Dei filius velut in vtero Virginis incarnatur.

O felices Sacerdotes, si sacerdotaliter vixeritis.

O cęleste mysterium, quod per vos Pater, & filius, & Spiritus sanctus tam mirabiliter operatur super tam ineffabili ministerio vestro: quòd vno eodemque momento idem Deus, qui pręsidet in cęlo in manibus vestris est in sacrificio.

Cęlum miratur.

Horrescit Infernus.

Contremiscit Diabolus.

Reuerenter quàm plurimum Angelica celsitudo adorat. Quid retribuam Domino (vt taceam de cęteris quę tribuit mihi) pro tam singulari dono Sacerdotij mihi impenso? quod datum est optimum, & donū perfectum. Ver. Gra. Ille qui creauit me, sine me, creatur mediante me. Et ille qui ex nihilo cuncta creauit sine me. Si fas est dicere, dedit mihi creare se.

O venerabilium sanctitudo manuum: ò fęlix exercitium vbi tractat Christum Sacer-

cerdos Dei filium, cuius delitiæ sunt esse cũ filijs hominum.

O Sacerdote attendite: maior est dignitas vobis collata, quàm Angelis, qui adorant, quod vos conficitis, nec ipsi conficere possunt.

O altitudo sapientiæ Dei.

O ineffabilis clementia Saluatoris, quod datum non est Angelis, concessum est homini: Sacerdos hoc sacramentum ineffabili conficit: Angelus conficienti sibi quasi famulus assistit.

O quàm venerabile, quàm gloriosum, quam insigne fuit apud antiquos nomen Sacerdotij, sed hodie quid abiectius eo? quid villius?

O Sacerdotes, si anima cuiuslibet iusti sedes Dei est: multo magis, vos sedes, & templum Dei esse debetis mundum, & immaculatum.

Si sepulchrum eius gloriosum est, in quo corpus exanime iacuit: glorioсiora, & digniora esse debent corpora vestra; nam qui à morte suscitatus est, quotidie dignatur illa inhabitare.

Si beatus venter, qui nouem mensibus Christum portauit: ita, & si non tantum, tamen beata debent esse corda vestra, in quibus quotidie elegit sibi hospitium filius Dei.

Si

Si beata ſunt vbera, quæ paruulus ſuxit: ita debet eſſe os beatum, quod carnem eius, & ſanguinem ſugit. Carnes ergo veſtras cũ timore eius configite, & vobis diligenter prouidete ne lingua loquendo, qua vocat de Cœlo filium Dei, contra Dominum loquatur, & ne manus, quæ intinguntur ſanguine Chriſti, polluantur ſanguine peccati, &c.

Speculum Sacerdotum ad profectum militiæ incipientium. *Cap. XVII.*

PIſcatores hominum Sacerdotes mei,
Præcones veridici, lucerna diei,
Charitatis radio fulgentes, & ſpei,
Auribus percipite, verba oris mei.
Vos in ſanctuario, mihi deſeruitis,
Vos vocaui palmites, ego vera vitis,
Cauete: ne ſteriles, aut inanes ſitis,
Si mecum perpetuo, viuere velitis.
Vos eſtis catholicæ legis protectores,
Sal terræ, lux hominum, ouium paſtores,
Muri domus Iſrael: morum correctores,
Vigiles Eccleſiæ: gentium doctores.
Si legis protectio cadat, lex labetur,
Si ſal euanuerit, in quo ſalietur?
Niſi lux appareat, via neſcietur,

Et ni pastor vigilet: ouile frangetur.
Vos cępistis, vineam meam procurare,
Hanc doctrinæ riuulis, debetis rigare,
Spinas atq; tribulos, prorsus extirpare,
Vt radices fidei, possint germinare.
Vos estis in area boues triturantes,
Prudenter à palea, grana separantes,
Vos habent pro speculo, legē ignorantes
Populi, qui fragiles sunt, & inconstantes.
Quicquid vident Laici, vobis displicere,
Dicunt proculdubio, sibi non licere,
Quicquid vos in opere, vident adimplere,
Credunt esse licitum, & culpa carere.
Cum pastores ouium, sitis constituti,
Ne estote desides, sicut canes muti,
Vobis non deficiant, latratus acuti,
Lupus rapax inuidet, ouium saluti.
Gres fidelis, triplici, cibo sustinetur,
Meo sacro corpore, quo salus augetur,
Sermonis compēdio, quod discretè detur,
Ciboq; corporeo, ne periclitetur.
Omnibus tenemini, vestris prædicare,
Sed q̄d, q̄bus, qualiter, vbi, quādo, quare,
Debetis solicite, præconsiderare,
Ne quis in officio, dicat vos errare.
Spectat ad officium, vestræ dignitatis,
Omnibus petentibus, mea dare gratis,
Nec cuiusquā hominū, munera prendatis,
Ne cum Gieci, pariter, lepram incurratis.
Gra-

Gratis Eucharistiam, plebi ministrare,
Gratis, & absoluere, gratis baptizare,
Vobis data cęlitus, cuncta gratis dare,
Salutemq; ouium, sedulo curare.
Vestra conuersatio, sit religiosa,
Munda conscientia, vita virtuosa,
Regularis habitus, mensq; gratiosa,
Nulla vos coinquinet labes criminosa.
Nullus fastus eleuet, statum vestræ mentis,
Grauis in intuitu, habitus sit testis,
Nihil vos illaqueat, curis inhonestis,
Quibus claues traditæ sunt, regni cęlestis.
Estote breuiloqui, ne vos ad reatum,
Pertrahat loquacitas, nutrix vanitatum,
Verbum quod loquimini, sit abbreuiatū,
Nam in multiloquio, non deest peccatum.
Estote beniuoli, sobrij, prudentes,
Iusti, casti, simplices, pij, patientes,
Hospitales, humiles, subditos docentes,
Consolantes miseros, prauos corrigentes.
Nam si sic gesseritis, curam pastoralem,
Vereq; vixeritis, vitam spiritualem,
Postquam exueritis, clamidem carnalem,
Ipse vobis conferam, stolam immortalem.

Quid sit officium Sacerdotale. Cap. XVIII.

SAcerdotale officium est (vt supra dictum est) consecrare corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi: orationes dicere, & benedicere dona Dei, vt dicitur in cap. perlectis, distin. 25. Vnde Sacerdos dicitur, qui Deo dicatus est ad sacrificia facienda; Sacerdotibus enim cum ordinantur, iunguntur manus, vt intelligant se accepisse gratiam consecrandi & charitatis opera debere ad omnes extendere. Vnde Sacerdos etiam dicitur Presbyter græcè, quod latinè interpretatur, senior propter honorem, & dignitatem, quam accipit, qui morum prudentia, & maturitate conuersationis præcellere debet populo.

Vnde dicitur Sacerdos. Cap. XIX.

SAcerdos dicitur a sacrificando, sicut enim Rex à regendo, ita Sacerdos à sacrificando vocatus est: consecrat enim, & sacrificat, distin. 21. cap. Cleros circa finem. Vnde Sacerdotes Regibus comparantur, 2. quæst. 7. §. Idem cum Balaam. Et non solum comparan-

parantur Regibus, ſed etiam illis pręeminent. 96. diſtinct. cap. Duo ſunt, in principio, & in fine. Item Antiſtes etiam Sacerdos vocatus eſt, ab eo, quod ante ſtat, primus enim eſt in ordine Eccleſiæ.

Vnde habuerunt originem Sacerdotes. Cap. X X.


SAcerdotes habuerunt originem in veteri teſtamento à filijs Aaron.

Deus enim per Moyſem inſtituit ſummos Pontifices, & minores Sacerdotes, qui ex præcepto Dei Aaron in ſummum Sacerdotem, & filios eius in minores Sacerdotes.

In nouo autem teſtamento, Chriſtus duodecim diſcipulos elegit, quos Apoſtolos vocauit, quorum vicem gerunt in Eccleſia maiores Pontifices: Deinde ſeptuaginta duos diſcipulos deſignauit quorum vicem tenent in Eccleſia Sacerdotes, eſt ſolus Sacerdos ritè, & legitimè ordinatus, ieiunus, exiſtens ſine peccato mortali & cui non eſt prohibitum celebrare Miſſam, ipſe eſt miniſter ſacramenti Euchariſtiæ, ext de ſumma Trinitate, & fide Catholica, in c. Firmiter, §. Vna, de conſecratione, diſtinct. 1. cap. In fine.

Finis Tertiæ Pars.





QVARTA PARS OPVSCVLI.

Attende tibi.

DONI LAVRENTII PATAVINI Ordinis Canonicorum Sancti Georgij in Alga Venetiarum.

Versatur circa mysteria, & cæremonias, quæ præclarè aguntur in solemnitate Missarum.

De Sacrificio Missæ. Cap. I.



OC facite in meam commemorationem. Lucæ 22. & de consecr. dist. 2. iteratur. Quia secundum beatū Tho. in 3 parte summę suę, quæst. 83. artic. 4. Mysterium nostræ salutis totum comprahenditur in sacramento Eucharistiæ, ideo tale sacramentum præceteris

Luc. 22

Tho. 3. q. 83.

agitur cum maiori solemnitate. Quæ quidem solemnitas in Missæ officio conuenit, vbi recolitur singularis memoria Dominicæ Passionis iuxta, quod ipse iturus ad passionem, fieri præcepit dicens. Hoc facite in meam commemorationem, Glosa dicit idest in memoriam mortis meæ. Et quia singulæ partes Missę, & paramenta inenarrabilem dulcedinem redundant Diuinorum mysteriorum, designant enim gesta, facta, & ôpera Christi, qui operatus est salutem in medio terræ, & præcipuè circa mysterium suæ passionis, resurrectionis, & Ascensionis. Ideo dicit aliquid.

Missa vnde dicatur. Cap. II.

Vnde dicitur Missa? Respondeo, quod dicitur à mittendo, quia oblatio corporis Christi mittitur ad Cęlum ministerio Angelorum: quia Angeli ibi mittuntur, vt dicit Greg de consecratione, distinctio. 2. Quod si sanguis.

Missam

Missam quid instituit. Cap. III.

Quis instituit Missam? Respondeo, quòd Dominus noster Iesus Christus, quando panem in corpus, & vinum in sanguinem transmutauit. Vnde Petrus Apostolus primò Antiochiæ celebrauit. Iacobus autem Apostolus Episcopus Hierosolymitanus, & Basilius Cesariensis tradiderunt nobis ordinem celebrandi eam, vt habetur de consecrat. dist. 1. cap. iacobus, & Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. & 2. & sess. 23. cap. 1.

Missa quare sit instituta. Cap. IIII.

Quare instituta fuit Missa? Respondeo; quòd ad repręsentandum passionem Domini nostri Iesu Christi.

Missa quid significet. Cap. V.

Quid significat Missa? Respondeo, quod significat Christum transmissum à Patre in hunc mundum, idest hostia, seu vota, preces, & oblationes per ministerium Sacerdotum transmissæ.

Missa

Miſſa à quo celebrari debeat. Cap. VI.

A Quo debet Miſſa celebrari? Reſpondeo, quòd à ſolo Sacerdote ritè ordinato, de conſecratione, diſtinctione 1. cap. 1. in fine.

Miſſam, in quo loco debeat Sacerdos celebrare. Cap. VII.

IN quo loco debet Sacerdos Miſſam celebrare? Reſpon. Quod in loco ſacro, & mundo, vt puta in Eccleſia, de conſecratione diſtinctione 1. cap. nullus. Extra vero Eccleſiam conſecratam celebrare non licet ſine neceſsitate, vel licentia Epiſcopi, de conſecr. diſtinct. 1. Miſſarum, & Concilio Triden. ſeſſione 22. in decreto de obſeruandis, & euitandis in celebratione Miſſæ. Et debet eſſe paratus cum omnibus paramentis requiſitis, & altari conſecrato, ſaltem portatili, cum Calice conſecrato, & duobus pallis, ſeu linteaminibus, & corporali conſecratis, & de puro lino confectis, de conſecr. diſtin. 1. cap. Conſulto, & cap. Veſtimenta.

Eccle-

Ecclesia quid sit. Cap. VIII.

QVid est Ecclesia? Respondeo, quod Ecclesia idem est quod congregatio, & quia triplex est congregatio, scilicet Malorum, Bonorum, & Beatorum. Ideò potest triplex Ecclesia designari.

Est enim Ecclesia Malignantium, Militantium, & Triumphantium. Et sic dico, quòd est Ecclesia in qua conueniunt malignantes, & ista signat quascunq; congregationes, & conspirationes hominum malignantium. De qua dicit Dauid in Psal. Odiui Ecclesiam Malignantium, & cum impijs non sedebo.

Item est Ecclesia in qua conueniunt fideles Militantes, & ista est propriè Ecclesia Militans, quæ est congregatio fidelium, qui scilicet sunt in militia, & in laboribus huius vitæ, de qua Ecclesiast. 3. Filij Sapientię Ecclesia iustorum.

Item est Ecclesia in qua conueniunt Beati triumphantes, & iste est status gloriæ sempiternæ, de qua in Psalmo 149. Cantate Domino canticum nouum, laus eius in Ecclesia Sanctorum. His præmissis dicamus aliquid de Ecclesia Militante, & hoc in quantum generaliter comprehendit omnes fideles,

les, vel ſpecialiter in quantum comprahendit ſtatum omnium Eccleſiaſticorum.

Igitur dicamus, ꝙ ſicut Reges terræ in ciuitatibus ſuis ædificant palatia, ſeu caſtra, quæ ſpecialiter ipſorum habitationibus deputantur: Quod etiam naturali exemplo firmatur de Rege Apum, quæ in medio alueari ædificat ſibi domum. Sic Deus licet totus mundus ſit ſuus, & teneat, vel tenere debeat fidem ſuam, in ſpeciali tamen, palatium, & hoſpitium, ſibi fecit ſtatum Eccleſiaſticorum virorum, atq; mulierum, ſcilicet Prælatorum, Religioſorum, Clericorum, & Monialium, vt ibi ſpecialiter hoſpitetur, & vt diligentius excolatur, & vt ibi etiam deuotius honoretur.

Communiter etiam dicitur Eccleſia, illa Domus materialis, in qua dicuntur horę Canonicæ, & fiunt Miſſarum ſolemnia. Hæc eſt Eccleſia in propoſito noſtro, in qua conueniunt Fideles, & Religioſi militantes, & Clerici ad obſecrandum Deum, & offi-cia, & ſacramenta Eccleſiaſtica exercere.



Veſtes

Vestes quot sint quibus Sacerdos indui debet in celebratione Missæ. Cap. IX.

Quot sunt vestes, quibus debet indui Sacerdos in celebratione Missarum? Respondeo, quòd sunt septem, scilicet Superpellicium, Amictum, Alba, Cingulum, Manipulum, Stola, & Casula. Quamuis superpellicium non sit de essentia Missę, & sic non requiritur, quòd sit benedictum. Cætera autem debent benedici ab Episcopo.

Superpellicium quid significet. Cap. X.

Quid significat superpellicium? Respondeo, quòd significat munditiam vitę, quam debet habere Sacerdos: & sic fit de lino purificato, Albo, & mundo.

Amictum quid significet. Cap. XI.

Quid significat Amictum? Respon. quòd significat eleuationem mentis, quam Sacerdos debet habere prę alijs, & maximè quando dicit Missam: & repręsentat illud coopertorium, quo velabant Iudęi faciem Chri-

Christi, dicentes, Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit? Matth. 26. & Luc. 22.

Alba quid significet. *Cap. XII.*

Quid significat Alba? Respon. quòd significat perseuerantia in bono, quam debet habere Sacerdos: & repræsentat vestem, in qua illusit Herodes Christum. Lucæ 23.

Cingulum quid significet. *Cap. XIII.*

Quid significat cingulum? Respondeo, quòd significat timorem Dei, per quam prohibetur peccatum perpetrari à Sacerdote, & repræsentat flagellum quo Pilatus cedit Christum. Ioann. 19.

Manipulus quid significet. *Cap. XIIII.*

Quid significat Manipulus? Respondeo, quòd significat fructum bonorum operum, quem boni Sacerdotes reportabunt in paradiso: & reprę sentat funem, quo alligatus fuit Iesus à Iudæis comprahensus. Ioan. 18.

Stola

Stola quid ſignificet. Cap. XV.

Quid ſignificat ſtola? Reſpon. quòd ſignificat mortificationem carnis, & debet poni in modum Crucis, ad deſignandum, quod Sacerdos debet portare Crucem pœnitentiæ in corde, & in corpore ſuo: & repræſentat ligamentum, quo ligatus fuit Ieſus ad columnam.

Caſula quid ſignificet. Cap. XVI.

Quid ſignificat Caſula? Reſpondeo, quòd ſignificat charitatem, quæ præeminet omnibus alijs virtutibus, & cooperit multitudinem peccatorum: & repręſentat purpureū veſtimentum, quo milites circundederunt Ieſum. Ioann. 19.

Per illas ſeptem veſtes, quid ſignificatur. Cap. XVII.

Quid ſignificatur per illas ſeptem Veſtes? Reſpondeo, quod ſignificantur ſeptem dona Spiritus ſancti, quibus Sacerdos debet eſſe perfuſus. Vel vt arma contra ſeptem pecca-

peccata mortalia ordinantur, quibus Sacerdos debet esse immunis.

Vel significant septem virtutes tres Theologicas, & quatuor Cardinales, quibus debet Sacerdos esse ornatus.

Vel septem opera Misericordiç, quibus Sacerdos debet esse deditus.

Vel septem dotes quas celebrans dignè habebit in Paradiso: quatuor ex parte corporis, & tres ex parte animç.

Quç, & quot sunt, quç interuenire debeant in çelebratione Missç? Respondeo, quod sunt nouem: scilicet, Altare, Calix, Patena, Sacerdos, Liber, Panis, Aqua, Vinum, & Corporale, &c. vt supra.

Altare quid significet. Cap. XVIII.

Quid significat Altare? Respondeo, ꝙ significat Crucem, in qua Dominus noster Iesus Christus passus est.

Calix quæ significet. Cap. XIX.

Quid significat Calix? Respon. quòd significat tumulum, seu sepulchrum in quo fuit Christus sepultus.

Pate-

Patena quid significet. Cap. XX.

Quid significat patena? Respondeo, ꝙ significat lapidem, quem Ioseph ab Arimathia aduoluit ad ostium monumenti.

Per Sacerdotem celebrantem, quid significetur. Cap. XXI.

Quid significatur per Sacerdotem celebrantem? Respondeo, ꝙ ipse Christus institutor huius sacramenti.

Liber quid significet. Cap. XXII.

Quid significat liber? Respon. ꝙ significat verba Christi in Cruce prolata.

Panis quid significet. Cap. XXIII.

Quid significat panis? Resp. ꝙ significat corpus Christi.

Aqua quid significet. Cap. XXIIII.

Quid significat aqua? Respon. quòd significat sudorem, quem emisit in horto

orans, qui factus est in faciem eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terra. Luc. 21.

Vinum quid significet. Cap. XXV.

Quid significat vinum? Respondeo, quòd significat sanguinem, quem pro nostra redemptione ipse Saluator noster effudit.

Corporale quid significet. Cap. XXVI.

Quid significat corporale? Respondeo, quòd significat syndonem, seu lintheum in quo Christi corpus in tumulo fuit inuolutum.

Altare de qua materia fieri debeat. Cap. XXVII.

De qua materia debet fieri Altare? Respondeo, quòd debet esse lapideum, & non ligneum, vel ferreum. de consecrat. dist. 1. cap. Altaria. Et debet consecrari per Episcopum. Sed si ad celebrandam Missam non habetur Altare consecratum, saltem habeatur paruula tabula lapidea consecrata, quæ

dicitur

dicitur altare viaticum, seu portatile; vt in cap. Quoniam, de priuilegijs libro 6. Vnde Altaria non debent consecrari sine reliquijs, de consecrat. distinct. 1. cap. placuit, & cap. non oportet. Et potest Episcopus in eadem Ecclesia plura Altaria simul consecrare, capit. cum sis, de consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.

Ad Altare quare tabula lapidea requiratur.
Cap. XXVIII.

Quare ad Altare requiritur tabula lapidea? Respondeo quia significat monumentum Christi, siue sepulchrum, quod fuit excisum in petra. Luc 13.

Calix de qua materia fieri debeat.
Cap. XXIX.

De qua materia debet fieri Calix? Resp. quòd debet esse de auro, vel argento, aut stanno, de consecratione, distinctio. 1. cap. Calix. Non autem debet esse de ære, aut plumbo, & similibus: quia propter eruginem ista vomitum prouocant, nec debet fieri de ligno propter poros, ne subintret san-

guis ;nec de lapide propter ineptitudinem, nec de vitro, aut chryſtallo, propter fragilitatem, de conſecrat. diſtin. 1. cap. vaſa, & cap. calix.

Miſſa qua hora celebrari debeat. Cap. XXX.

Qua hora debet Miſſa celebrari? Reſpon. ſecundum ſanctum Thomam, in 4. ſent. diſt. 13. quòd ſolemnis Miſſæ celebratio, tribus horis inſtituta eſt, ſcilicet in tertia, diebus feſtis, de conſecr. diſt. 1. cap. nocte ſancta: in ſexta diebus pro feſtis: in nona, diebus ieiuniorum, etiam poſt nonam, quando fiunt ordinationes, de conſecr. diſt. 1. cap. ſolent, & §. in ieiunijs.

Tho. 4. diſt. 18.

Priuatæ autem Miſſæ dici poſſunt à mane, vſq; ad tertiam, vel etiam, vſq; ad nonam in diebus ieiuniorum, de conſecr. diſtinct. 1. cap. neceſſe.

Miſſa quo tempore celebrari debeat. Cap. XXXI.

Quo tempore debet Miſſa celebrari? Reſpondeo ſecundum ſanctum Thomam, & alios Doctores, quod regulariter de die, & non

non de nocte celebranda eſt, excepta nocte Natiuitatis Domini. eadem diſtinctio. cap. nocte ſancta.

Miſſa quare de die, & non de nocte celebretur. Cap. XXXII.

Quare Miſſa celebratur de die, & non de nocte? Reſpondeo, ſecundum Sanctum Thomam in 4. ſenten. diſtinctio. 13. Quia in Miſſa rememoratur paſsio Chriſti, quæ fuit facta de die, & non de nocte. Vel quia per noctem denotatur ſtatus peccati, & per diem ſtatus gratiæ, ad denotandum quod ille qui dicit Miſſam debet eſſe in ſtatu gratiæ. *Tho. 4. ſentent. diſt. 13.*



Et Sacerdos, qui ſcienter celebrat ante diem, cum ſit contra conſuetudinem generalem Eccleſiæ, mortaliter peccat, niſi ſuper hoc per Epiſcopum diſpenſetur in caſu, ſi aliquis infirmaretur ad mortem, & non poſſet aliter haberi Euchariſtia.

Vel ſi Epiſcopus in itinere ante diem celebret, vel faciat celebrari, quod ei liceat, ſecundum Gloſ. in cap. finis, de priuilegijs, lib. 6. Excipitur ab hac regula dies Natalis Domini in quo Miſſa media nocte celebratur, de conſecrat. diſtinct. 1. cap. nocte ſancta, &

cap. solet, & de celebratione Missarum, capitulo consuluisti.

Missæ tres quare in Natiuitate Domini celebrentur. Cap. XXXIII.

Quare in Natiuitate Domini celebrantur tres Missæ? Respondeo, quia per illas tres Missas repræsentantur tres Natiuitates Christi, scilicet Natiuitas æternalis à patre: Natiuitas spiritualis, qua nascitur pro animabus iustorum, & Natiuitas corporalis, qua nascitur de virgine Maria. Vnde vna celebratur ante diem ad designandum tempus ante legem, quando erant homines in tenebris.

Secunda cum diescit, ad designandum tẽpus sub lege quando nondum notitia Dei perfecta habebatur.

Tertia in die plena, signat tempus gratiæ, quando iam plena cognitio habebatur.

Quoties in die Missa celebrari debeat. Cap. XXXIIII.

Quoties in die debet Missa celebrari? Respondeo, quòd sufficit semel in die celebrare,

re, quia repręsentatur vnica paſsio Christi. Nam valde fęlix eſt, qui celebrat dignè vnã, de conſecratione, diſtinct. 1. cap. ſufficit, & de celebratione Miſſarum, cap. conſuluiſti, & cap. te referente. Excipitur dies Natiuitatis Domini, in quo poſſunt celebrari tres Miſſæ à quolibet Sacerdote, eadem diſtinct. cap. conſuluiſti. In alijs verò diebus poteſt Sacerdos in caſu neceſsitatis duas Miſſas, & non plures celebrare, videlicet, ſi neceſſe fuerit dicere vnam Miſſam de die, & aliam pro defunctis, niſi ſit contra conſuetudinem loci, vel propter neceſsitatem infirmorum, vel peregrinorum, vel nuptiarum, vel propter aliquod aliud ſimile, dummodo in prima Miſſa non ſumat purificationem calicis, &c. poſt communionem, quia non eſſet ieiunus, de celebratione Miſſarum, cap. ex parte. Vbi ſciendum eſt, quod omni die, excepto in die Veneris ſancto Miſſa celebratur: & tunc, quia eo die Chriſtus ſe ipſum immolauit: & etiam ob maximam reuerentiam inſtitutoris Miſſæ, de conſecratione, diſtinctione 5. capitulo ſabbato. *Nota.*

Missa quare in die Veneris sancto non celebratur? Cap. XXXV.

Quare non celebratur Missa in die Veneris sancta? Respon. quia ipsa dies, in qua Christus passus fuit ipsam passionem satis efficaciter repręsentat. Ioan. 18 Ideo statuit Ecclesia, vt illa die non consecretur corpus Christi, sed quod in pręcedenti die reseruatum est, sumatur.

Quare eodem die non reseruatur sanguis? Cap. XXXVI.

Quare eodem die non reseruatur sanguis, sicut reseruatur hostia consecrata? Respon. quòd propter periculum effusionis.

Missa quare quotidie celebrari debeat? Cap. XXXVII.

Quare Missa debet quotidie celebrari? Respon. secundū S. Tho. in 4. sent. dist. 13 quòd propter quinque causas. Prima, quia oportet semper medicinam paratam esse contra quo-

quotidiana peccata.

Secunda, vt lignum vitæ ſit ſemper in medio paradiſi. Gen. 2. Lignum etiam vitæ in medio, &c.

Tertia, vt nobis ſemper Chriſtus vniatur ſacramentaliter, & nos ei ſpiritualiter. Matt. 28. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus.

Quarta, vt apud nos ſit iugis memoria paſſionis eius. D. Paulus ad Corinthios, capit. 2. primæ. Quotieſcunq; enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.

Quinta, vt vero agno, loco tipici, quotidie vtatur, quem Iudæi ad veſperam conuertendi eſurient. Pſal. 58. Conuertentur ad veſperam, & famem patientur, &c.

Miſſa quomodo celebrari debeat, & quid candela accenſa ſignificet. Cap. XXXVIII.

Quomodo Miſſa debet celebrari? Reſpon. ꝙ Sacerdos celebrando Miſſam, debet ſeruare ordinarium, ſeu rubricas Miſſalis, & debet eſſe diſcoopertum caput, de conſecr. diſtinct 1. cap. nullus Epiſcopus. Et non debet celebrare ſine lumine, ſeu candela, aut cereo accẽſo, de celebratione cap. finis. In quo ſunt tria, ſcilicet cera, lichnius, & ignis, & illa

tria

tria in cereo accenso denotant tres personas ipsius Trinitatis, scilicet personam Patris per ceram, personam Filij per lichnium, & personam Spiritus sancti per ipsam flamam, seu per ignem.

Vnde candela accensa significat carnem Christi, quæ nata est de virgine Maria sine corruptione. Ignis autem siue lumen significat diuinitatem. Lichnius vero in cera latens significat animam Christi candidissimam in carne latentem. Item Sacerdos debet habere duos præsentes, qui respondeant, de consecr distinct. 1. Et secundum aliquos, vnus sufficit, de verborum significatione, capitulo quæsiuit.

Missa in quot partes diuidatur. Cap. XXXIX.

In quot partes diuidatur Missa? Respond. quòd in quatuor partes, scilicet, in obsecrationes, orationes postulationes, & gratiarum actiones, primæ D. Pauli ad Timothæū 2. Obsecro igitur primum omnium, fieri obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominib. &c.

Vnde prima pars pertinet ad instructionem p[illegible]li.

Secunda ad materiæ consecrationem.

Tertia ad materiæ consecratæ sumptionẽ.
Quarta ad gratiarum actionem.

De ratione, & significatione eorum, quæ in Missa, & circa eam aguntur. Cap. XL.

IN Missa præcipuè solemni, atq; circa eam decem generalia principaliter occurrunt peragenda.

¶ 1 Lotio.
2 Thurificatio.
3 Altaris osculatio.
4 Sacerdotis versio, & populi per eum salutatio.
5 Gestus vagatio.
6 Multiplex per Cruces signatio.
7 Hostiæ fractio
8 Partis Hostiæ in Calicem missio.
9 Osculi pacis traditio.
10 Vini non consecrati sumptio.

¶ 1 Lotio manuum ante Missam fit.

Primo, ad tractandum reuerenter ipsum Sacramentum, preciosa enim tractare non consueuerunt homines nisi manibus prius lotis. Vnde indecens esset quòd ad tam preciosum, & tam nobile Sacramentum tractandum quis accederet, manibus, quæ de facili inquinatur illotis.

Secundo. Lotio fit ad incitandum celebrantem ad deuotionem, & internam purificationem quam intendere debet.

Tertio. Lotio fit ad insinuandum, quòd oblaturus, & consecraturus hostiam lachrimis compunctionis lauare debet prius conscientiam.

Quarto. Lotio manuum ante Missam fit ad significandum illam interiorem mundificationem.

Vnde sacer Dionysius dicit: quod extremitatum ablutio significat ablutionem etiã à minimis peccatis, hoc namq; etiam repręsentabat ablutio Sacerdotum in veteri testamento.

Lotio digitorum in Missa fit ante oblationem, vel consecrationem.

Primo ad ampliorem reuerentiam sacramenti exhibendam cum iam offerri, & consecrari debent.

Secundo ad ampliorem deuotionem, & puritatem incitandam.

Tertio ad ampliorem emundationem à peccatis significandam.

Lotio digitorum post sumptionem sacramenti fit propter reuerentiam sacramenti, ne post tanti sacramenti contactum, digitis non ablutis statim alia non sacrata tangantur.

Et fit propter periculi cautelam, vt ſi aliquid de ſpeciebus ſacramentalibus remanſerit adhærens digitis: per ablutionem tollatur. Fit etiam propter munditie retinentiam. Significat enim hæc ablutio, vt Sacerdos qui per ſacramenti perceptionem præſumitur eſſe mundatus, poſt celebrationem munditiam retineat, & à recidiua inquinatione ſibi caueat.

¶ 2 Thurificatio ante Miſſam, & in ea fit.

1 Propter ſacramenti reuerentiam, vt ſcilicet per thuris bonum odorem, expellatur ſi quid mali odoris ibi fuerit, quòd horrorem prouocare poſſet.

2 Propter Diabolicæ malignitatis repulſam, ne videlicet ille malignus aliquid contra ſacrificium, vel celebrantem machinari, vel facere poſsit, huiuſmodi enim fumo omne genus Dæmoniorum extruditur.

3 Propter deuotionem & orationem celebrantis ac aſsiſtentium ſignificandam, quæ per ipſos ad Deum dirigitur.

4 Propter effectum gratiæ repræſentandũ: qua ſicut Chriſtus bono odore repletus fuit.

¶ 3 Altaris oſculatio, & ante Miſſam & in ipſa fit.

1 Ad ſacramenti conſecrandi, tractandi,

&

& ſumendi reuerentiam.

2 Ad celebrantis amorem erga Chriſtum excitandum.

3 Ad dilectionem inter Chriſtum ſponſum, & Eccleſiam ſponſam repręſentandam.

4 Ad deteſtabilem Iudę proditoris oſculationem ſignificandam, pręſertim quo ad illam oſculationem, quę fit poſt Sacramenti eleuationem, cum dicitur ex hac altaris participatione &c.

¶ 4 Sacerdotis ad populum ſalutatio, quę fit verſio quintuplex: quintuplicem manifeſtationem Chriſti in die reſurrectionis ſuę factam, repręſentat. Septem vicibus fit, quinquies videlicet, cum ſe vertit ad populum, & bis cum ſe non vertit, vt cum dicit in pręfatione; Dominus vobiſcũ: & poſt Hoſtię fractionem: Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, ſeptiformem ſpiritus ſancti gratiam ſignificat.

¶ 5 Geſtus principalis variatio, eſt ſeptuplex.

1 Brachiorum extenſio, quę ſignificat extenſionem brachiorum Chriſti in Cruce.

2 Eleuatio brachiorum, quę ſignificat directionem orationis ad Deum.

3 Coniunctio manuum, quę ſignificat coniunctionem cordis cum ore: oris cum operibus, fidei cum factis charitatis.

4 Can-

4 Cancellatio manuum, quæ ſignificat cru cifixionem, ſiue affixionē Chriſti in Cruce.

5 Digitorum, ſcilicet policis cum indice copulatio, quę fit propter ſacramenti reuerentiam, & propter periculi cautelam: ne ſi aliqua particula digitis adheſerit, diſperdatur.

Item ad ſignificandam copulationem capitis cum membris, i. Chriſti cum Eccleſia.

6 Corporis inclinatio, quę fit ad repræſentandam humilitatem, & obedientiam Chriſti, ex quibus paſsionem, ſuſcepit.

Item ad incitandum celebrantem, & aſtantes ad humilitatem, & deuotionem.

¶ 6 Multiplex ſignatio per Cruces, fit ad repræſentandum modum, & ordinem Dominice paſsionis.

Et quia illa paſsio quibuſdam gradibus fuit peracta: quædam enim paſsionis partes crucifixionem præceſſerunt, & quædam in Cruce conſumatæ ſunt. Ideo etiam quędā cruces fiunt ad repræſentandum ea, quę paſſus eſt Dominus ante crucifixionem, vt ille quę fiunt ante conſecrationem. Quædam verò fiunt ad repræſentandum ea, quæ in Cruce, vel poſt Crucem facta ſunt: ſicut ille quæ fiunt poſt conſecrationem: perficitur autem iſta ſignificatio per crucem.

1 Triplici cruce ſub illis verbis.

Hęc

Hæc dona.
Hæc munera.
Hæc ſancta ſacrifitia.
Ad repręſentandum traditionem Chriſti factam à Deo patre, Iuda, Iudæis.
2 Triplici cruce ſub illis verbis.
Benedictam.
Aſcriptam.
Ratam.
Ad repræſentandum venditionem perfectam à Sacerdotibus, Scribis, Phariſeis.
Vel venditionis precium, ſcilicet triginta denariorum Iudam venditorem.
3 Duplici cruce ſub illis verbis
Corpus, & ſanguis fiat.
Ad repræſentandum Chriſtum venditum.
4 Vnica cruce in conſecratione corporis ſub illo verbo.
Benedixit.
Item vnica cruce in conſecratione ſanguinis ſub illo verbo.
Benedixit.
Ad repræſentandum præſignationem paſſionis Chriſti factam in cena per huius ſacramenti inſtitutionem ſub ſpecie panis, & vini, vel paſſionem Chriſti in corpore, & in anima.
5 Quintuplici cruce ſub illis verbis.
Hoſtiam puram.
Ho-

Hostiam sanctam.
Hostiam immaculatam.
Panem sanctum vitæ eternę.
Et Calicem salutis perpetuæ.
Ad repræsentandum quinque plagas siue vulnera principália corporis Christi.
6 Triplici Cruce sub illis verbis.
Corpus, & sanguinem sumpserimus omni benedictione cęlesti, & gratia repleamur.
Ad epræsentandum corporis Christi extensionem, sanguinis effusionem, & pasśionis fructum.
7 Triplici Cruce sub illis verbis.
Sanctificas.
Viuificas:
Benedicis, & præstas nobis.
Ad repræsentandum triplicem Christi orationem in cruce, scilicet
Pro persecutoribus.
Pro liberatione á morte.
Et pro adeptione glorie.
8 Triplici cruce sub illis verbis.
Per ipsum.
Et cum ipso.
Et in ipso.
Ad repręsentandum tres horas quibus Christus pependit in cruce, quia ab hora sexta, vsq; ad nonam.
9 Duplici cruce sub illis verbis.

Deo patri omnipotenti: in
Vnitate Spiritus ſancti.

Ad repræſentandum ſeparationem animæ à corpore.

10 Triplici cruce ſub illis verbis.

Pax Domini
Sit ſemper
Vobiſcum.

Ad repræſentandum Chriſti reſurrectionem tertia die factam.

¶ 7 Hoſtiæ fractio fit ad obſeruandum formam quam Chriſtus circa confectionem huius ſacramenti tenuit. Ipſe enim panem fregit.

Ad repræſentandum paſsionem Chriſti, in qua corpus eius vulnerationibus fractum, ſiue diuiſum fuit.

Item ad repræſentandum diſtinctionem corporis Chriſti myſtici ſecundum diuerſos ſtatus eius.

¶ 8 Circa miſsionem partis hoſtiæ in calicem aduertendum eſt, quod hoſtia frangitur primo in duas medietates, ad deſignandum duplicem ſtatum prædeſtinatorum, ſcilicet eorum qui ſunt,

In æterna gloria,
Et eorum qui ſunt,
In temporali miſeria.

Iſta namq; medietas, quæ ex manu dextra

ſuper patenam indiuiſa collocatur, ſignificat prędeſtinatos, qui iam adepti ſunt beatitudinem, quæ per dextram intelligitur.

Alia verò medietas, quæ in ſiniſtra recollitur, diuiditur in duas partes: quarum vna medietati ſuper patenam collocatæ coniungitur, & ſignificat illos, qui ſunt in purgatorio, licet quidem beatitudinem nondum habeant, ſunt tamen certi de ea.

Altera quę poſt hanc diuiſionem in dextra tenetur mittitur in calicem, & ſignat prędeſtinatos adhuc in hoc ſeculo viuentes, qui quamuis de beatitudine habenda certi non ſint, illam tamen virtute paſsionis, & ſanguinis Chriſti conſequentur, licet per multas tribulationes, quę per calicem ſignificantur.

¶ 9 Poſtquam Sacerdos dixit Agnus Dei, &c. Oſculatur librum, vel Altare, vel aliud ſecundum conſuetudinem loci Et deinde Miniſtrum, vel imaginem, vel tabulam per eundem ſibi porrectam, quæ vlterius exhibetur aſtantibus oſculanda.

Primo ideo, vt celebrans non ſolum cum Deo pacem, ſed, & cum proximo ſe habere proteſtetur.

Secundo ideo, vt alij oſculantes profiteantur ſe eſſe coniunctos in vnitate fidei, per Chriſtum in ara Crucis immolatum.

¶ 10 Post communionem, & calicis, ac digitorum cum vino ablutionem, sumitur illud vinum.

Primo ideo, vt reliquie specierum sacramentalium si quę in ore remanserint cum illo transglutiantur.

Secundo, vt per hoc significetur, quòd Sacerdos deinceps manere debeat mundus, & seruare saporem, ac odorem vini compunctionis, & humilitatis in corde.

Item saporem gratiarum actionis, & lętitie, in ore.

Item etiam saporem rectæ conuersationis, & iustitię vita, & opere.

De operibus bonis. Cap. XLI.

SCriptum est in Prouerbijs: Quod nullum malum impunitum, & nullum bonum irremuneratum.

Opera bona, quę non fiunt in charitate; idest in statu gratiæ, licet non valeant ad vitam ęternam, valent tamen ad alia multa. Certè, opus bonum aptat cor, scilicet ad susceptionem gratię, minuit pœnam, scilicet illam quę deberetur si non fieret illud opus: dat bona terræ, scilicet temporalia: occupat, scilicet ne sit homo inte[illegible] ociosus, vel

operi

operi malo deditus, assuescit scilicet ad bene operandum: delectat, scilicet mentem: mitigat, scilicet fomitem peccati: arcet, scilicet fluxum peccati. Bona opera ferunt in nobis, lumen. Vnde D. Paulus dicebat, ad Ephesios 5. Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Vt filij lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate.

De gradibus perfectionis. Cap. XLII.

SCala perfectionis per quam ascendimus, vsq; ad gradum supremũ beatitudinis: incipiendo enim à timore seruili, ex quo nascitur timor Domini. Et ex timore Domini nascitur cõpunctio cordis. Et ex compũctione cordis nascitur nuditas, & contẽptus, & sic de singulis.	Beatitudo. Perfectio charitatis. Puritas cordis. Pullulatio virtutum. Expulsio vitiorum. Mortificatio voluptatũ. Humilitas. Nuditas, & cõtemptus. Compunctio cordis. Timor Domini. Timor seruilis.

Epi-

Epilogus Pithagoræ, moralis Philosophiæ.

FVgare conuenit, ac modis omnibus resecare.

Morbum à corpore.

Inſcitiam ab animo.

Luxuriam à ventre.

Seditionem à Ciuitate.

Diſcordiam à familia.

In ſumma ab omni negotio intemperantiam.

Dicta pręcioſa.

Noli dicere omnia quę ſcis.
Noli credere omnia, quę audis.
Noli facere omnia, quę poſsis.
Noli dare omnia, quę habes.
Noli iudicare in malum omnia, quę vides.

F I N I S.



Errata in Typis; vel omissa notanda, sic corrigantur.


Errata.	—	*Correcta.*
In pagina prima rursum	—	dic. sursum
11 est substantias	—	est substantia
93 pietas ast	—	pietas autem ad omnia vtilis est.
107 cum aliquid facimus.	—	cum aliquid facimus tangendo facimus.
129 Nam si quis existimat se	—	Nam si quis existimat se aliquid esse cum nihil sit, ipse se seducit.
132 quam ad religimen	—	quam ad regimẽ hominũ
158 & humidi modo	—	& humili modo
225 Missam quid instituit	—	Missam quis instituit
232 Calix quæ significet.	—	Calix quid significet

VERONAE,

Apud Petrum Diſerolum. 1596.



Superiorum Permiſſu.




colorchecker CLASSIC
calibrite
mm